

J &  
5243



EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

12, 53.

Abt. 9.





PARÆNESIS  
AD  
UNIONEM  
EVANGELI-  
CORUM  
ECCLESIASTICAM,  
FUNDAMEN-  
TALI  
HORUM

in Fide

CONSENSUI

Superstructa,

à

SAMUELE STRIMESIO,

SS. Theol. Doctore & Prof. Ord.

nec non Ecclesiae Primar. in

*Universitate & Ecclesia*

Francofurtanis.

KÖN. PR. FR.  
UNIVERS.  
ZVHALLE.

*Illustrissimis, Generosissimis  
atq; Excellentissimis  
Dominis,*

**DN. DANIELI LUDOLPHO  
de DANCKELMANN,**

**S. R. I. LIBERO BARONI,**  
*Augustissimi ac Potentissimi*  
**REGIS BORUSSIÆ & ELECT. BRAND.**  
Ministro Statûs & Belli Intimo,  
Commisfario Rerum Bellicarum Generali,  
Regiminis Halberstadiensis  
Directori Eminentissimo,  
Consistorii S. quod Berolini est, Præsidi Summo,  
&c. &c.

**DN. HENRICO RÜDIGERO  
de ILGEN,**

**S. R. I. LIBERO BARONI,**  
*Serenissimi ac Potentissimi*  
**REGIS BORUSSIÆ & ELECT. BRAND.**  
Ministro Statûs & Belli Intimo,  
ac  
Regiminis Mindensis  
Directori Eminentissimo,  
&c. &c.

DN.

Nec non

**DN. MARQVARDO LUDO-  
VICO de PRINTZEN,**

S. R. I. LIBERO BARONI,

*Augustissimi ac Potentissimi*

REGIS BORUSS. & ELECT. BRAND.

Consiliario Statûs Intimo,

Regiæ Arcis Gubernatori Supremo,

Rerum Feudalium Directori

Eminentissimo,

Comitatûs Ruppinensis

Provinciaeque Bellinensis

Præsidi Magnifico,

&

**DN. CHRISTIANO FRIDE-  
RICO de BARTHOLDI,**

S. R. I. LIBERO BARONI,

*Sereniss. & Potentissimi*

REGIS BORUSSLÆ & ELECT. BRAND.

Consiliario Statûs Intimo,

&

Summi Appellationum Judici

Præsidi Excellentissimo,

*Dominis ac Mæcenatibus suis  
Benignissimis.*



*ILLUSTRISSIMI,  
DOMINI,  
DOMINI BENIGNISSIMI.*

**P**ostrema hæc Scriptorum  
meorum Irenicorum, Unio-  
nem Evangelicorum Ecclesi-  
asticam, per demonstratum  
horum in Fide Consensum Funda-  
mentalem, svadentium, Particula est,  
Vobis, Ecclesiasticarum pariter atque  
Civilium, in his aliisque MAGNI  
NOSTRI SALOMONIS Regioni-  
bus, postque hunc ipsum, Modera-  
toribus Optimis Maximis, Judiciisque  
Vestris, haud secus ac quævis præ-  
cedentium, humillimè submitienda;  
Tan-

Tantòque magis, quantò earum pro-  
pemodùm Primam, Duo ex Illustris-  
simo Ordine Vestro, cum adhuc a-  
liis DUOBUS, Ordinis ejusdem tunc  
participibus, nunc verò beatissimo  
Cœlestium Cœtui adscriptis, benigni-  
oribus olim vultibus accepistis, quan-  
tòque certior me spes tenet, qui in  
piè defunctorum Munus Per-Illustre  
Locumque, ex multorum piorum  
voto, successistis, unà cum hæcte-  
nus, per singulare DEI beneficium,  
inque eximium Terrarum harum  
folatium, Superstitibus, hanc quoque  
laborum meorum Lineam ultimam,  
Gratiâ Vestrâ ac Patrociniô haud de-  
dignaturos esse.

Ceterùm Universis Vobis, IL-  
LUSTRISSIMI DOMINI, devotissimè  
venio significatum, me omne id quod  
de Christiana Evangelicorum Unio-  
ne, per muneris mihi demandati ra-  
tionem, Deo Duce, in publicam lu-  
cem

cem adhuc edidi, plenissimâ Con-  
scientiæ meæ, *de Fundamentali Pro-*  
*testantium in Fide Consensu*, subniti  
persuasione, ut nullus verear, vel  
ipfi **AUGUSTISSIMO. REGI**  
**NOSTRO**, *Vobisq; summis Sta-*  
*tus ejus Regii Ministris*, illud idem  
dicere, quod Restauratorum Evan-  
gelicæ Veritatis, post Melanchtho-  
nem, modestissimum vereque Paci-  
ficum *Martinum Bucerum*, Divo  
PHILIPPO, HASSIÆ LANDGRAVIO, acu-  
tissimò ingenio prædito Principi, scri-  
pisse, Magnum illud Argentinensi-  
um Eruditorum Sydus, *Joh. Stur-*  
*mius*, refert: *Se capitis pœnam non*  
*deprecari nullumque supplicium*  
*recusare, si bonis & æquis Judici-*  
*bus constitutis, non probet, utrosq;*  
*Lutheranos & Zwinglianos, Ver-*  
*bis, & Opinionibus, & Suspicioni-*  
*bus, inter se dissentire, re ipsâ verò*  
*& verè idem sentire.*

Equi-

Equidem præscivi probè quod & præfagire animus facile poterat, Me Scriptis hisce meis, communem Mediatorum sortem aditurum multorumque utriusque Partis Odium & Obtrectationes adversus me suscitaturum provocaturumque esse; Sed verò, hoc ipsum, ab isthac quoque muneris mei parte, adeo me abstrahere & absterrere nec poterat, nec debebat, ut prævisum malum, DEI veritatisque tam ponderosæ edocendæ confirmandæque causâ, subeundum, calcar mihi addiderit, stadium præfixum tantò alacriùs decurrendi; præsertim cum animo perpendere, omne istud malum, non tam ab ipsis Evangelicorum Partibus Duabus, quàm ab harum, ex mente Spiritûs S., appellitanda fæce, excitatum iri, id quod eventus quoque ipse comprobavit.

Con-

38  
Contra hanc utriusque Partis  
fæcem, à reliquis tàm Reformato-  
rum, quàm Lutheranorum, Fratrum,  
Pacem Sionis Evangelici mecum e-  
nixè ambientibus, Publicis quoq; Scri-  
ptis desiderium hoc suum prolixissi-  
mè testatis, abunde tut<sup>9</sup>, (quippe quo-  
rum etiam nonnulli tenues meos pro  
Pace conatus, satis tamen benevole  
calculò suò approbare minimè du-  
bitarunt ) ad Vestrum, VIRI ILLU-  
STRISSIMI, Præsidium confugio, hu-  
millimè precatus, ut pro vestro ipso-  
rum integerrimo UNIONIS EVANGE-  
LICÆ accelerandæ studio, tàm omnes  
alios, Paci Protestanticæ, Divinâ  
Veritate suffultæ, operam suam piò  
commodantes animò, quàm Me, mi-  
nimum horum æmulum, fovere  
quàm benignissimè ac sustentare  
pertendatis, qui nullò non tempore  
*Illustrissimis Vestris Nominibus,*  
omni devotionis cultu me consecro,  
pro-

proque salute vestra, in Reipublicæ  
Ecclesiasticæ juxtà ac Civilis, perpe-  
tuum emolumentum ac incremen-  
tum, ardentissimas Deo preces nun-  
cupo.

*ILLUSTRISSIMI DOMINI,  
DOMINI BENIGNISSIMI,  
VESTRARUM EXCELLEN-  
TIARUM*

Devotissimus Cultor

SAM. STRIMESIUS, D.

PARÆNESEOS

SUMMARIUM.

§. I. **I**N Fundamento Consentientes Protestantes, non tantum ad Tolerantiam mutuam, sed & Unionem Ecclesiasticam, seridè abhortandi sunt, idque potissimum argumentis causæ huic intrinsicis.

§. II. Quorum Argumentorum PRIMUM subministrat Controversiarum inter Protestantes residuarum tam PAUCITAS, quàm EXILITAS, ad ductum Clariss. & Celeberr. CALVÖRII §. III. IV. V. & VI. expositæ.

§. VII. VIII. SECUNDUM, Reverentia Reformatorum erga clariora S. Scripturæ Loca, quibus Dissensus eorum à Lutheranis, unice nititur, alioquin omnem citra tergiversationem, in horum castra transitorum.

§. IX. TERTIUM, à Reformatis dissentienti, tres Fundamenti Lutherani Partes, imbecilliores, quarum prima Locorum quorundam Script. S., novitia utique *δισσημνεία*,

§. X. XI. Altera, Librorum Symbolicorum, sigillatim Formulæ Concordiæ Bergensis, nimia Veneratio,

§. XII. XIII. XIV. Tertia, Consequentiarum certi generis, injusta atque iniqua Imputatio est.

§. XV. QUARTUM Argumentum absolvit Fraternalis Amoris inter Christianos Fundamentaliter consentientes, Præstantia ac Necessitas.

- §. XVI. Christo hujusque Discipulis commenda-  
tissima.
- §. XVII. Cui nequaquam repugnat Zelus pro Ve-  
ritate Divina, ad justas scil. hujus Veritatis Re-  
gulas, exactus.
- §. XVIII. QUINTUM Arg. expedit Schismatis  
summa turpitude & Christianæ Religionis exstan-  
tissimum opprobrium.
- §. XIX. Cujus Natura accuratè evolvitur.
- §. XX. XXI. Illiusq; quoad Protestantes, primus Autor  
Lutherus, vel ex Lutheranis Scriptoribus, dignoscitur.
- §. XXII. Ab hodiernorum interim Lutheranorum  
parte majori, turpiùs continuandi.
- §. XXIII. XXIV. SEXTUM constituunt indefesse  
Reformatorum preces amicissimæque ad Pacem  
Ecclesiasticam Unionemque Protestanticam Invi-  
tationes, haudquaquam abrumpendæ, ne per DU-  
ODENARIAM quidem obstrepentium quorun-  
dam Lutheranorum injectam REMORAM.
- §. XXV. SEPTIMUM POSTREMUMQUE  
Argumentum Unionis ineundæ suavisimum est MO-  
DUS ejus perquam facilis, exclusis scil. ab Unio-  
ne tamdiu Pontificiis, quamdiu hi Tridentini  
Concilii Anathemata adversus Protestantes vi-  
brare pertendunt.
- §. XXVI. XXVII. Ad Unionis Protestanticæ MO-  
DUM non grassandum esse: nec per præmitten-  
dam Universalem dogmatum controversorum Com-  
positionem; nec per impetrandam prius Univerfa-  
lem morum Emendationem; nec per alterius Par-  
tis



*tis ad alteram, dum, quæ sub Judice lites adhuc sunt, decidantur, Accessionem Interemisticam;*

§. XXVIII. *Sed per hos obvios tres Gradus, quorum Primus est, conscientiosa Consensus Dissensusque Protestantici Inquisitio & Dijudicatio;*

§. XXIX. *Secundus, Amor Fraternalis, obtenti Consensus Fundamentalis comes prorsus indivulsus, Dissensusque residui, rectè Christianèque componendi, præstantissimum medium.*

§. XXX. XXXI. *Tertius, amica pacificaque Dissensus præter - Fundamentalis vel Compositio Actualis, vel saltem Tolerantia, tum quod ad Doctrinas Theologicas, tum quod ad Ritus Ecclesiasticos attinet, de quibus Regula tam à B. Spanhemio, Reformato, quàm à Celeberr. Dn. Rechenbergio, Lutherano, notata, studiosè observanda sunt.*

§. XXXII. *Ad felicem Graduum horum trium Confectionem, primò omnium, Deus Pacis, de Gratia & Benedictione sua cœlesti, dehinc Magistratus Protestantici Summi, de Institutione & Directione Charitativi Concilii, ex Politicis pariter atque Theologis tam piis & prudentibus, quàm doctis & in Scriptura S. probè versatis, cogendi, devotè & humiliter veniunt compellandi, nec sic de prospero Concilii eventu quicquam dubitandum.*

**D**Emonstratō jam tum alibi evictōq; Fū-  
damentali Fidei inter Protestantes Cō-  
sensu, proximum est, quippe Christia-  
næ Religioni quàm maximè consentaneum,  
idemque & postremū, ut Tolerantiam Prote-  
stantib9 mutuam, eamque Ecclesiasticam, ab  
Unione Communionequē Sacra, non nisi solō  
fortean gradu, diversam, persvasum inculca-  
tumque eamus. Nam quos inter unicus  
iste intergerinus paries, Dissensus scilicet  
in ipsa Fidei Christianæ Substantia, sublatus  
est atque abolitus, ii uti citra ingentem  
conscientiarum suarum læsionem, ab Unio-  
ne Communionequē, nedum à Tolerantia  
mutua, abstinere se nullō modō queunt;  
ita ad eandem omni conatu ac studio admo-  
nendi & incitandi sunt, tantōque magis,  
quantō plures in diversum nituntur, quan-  
tōque Christianō nomine indignius est, sub  
Principe Pacis, in Fide conjunctos, mutuis  
tamen odiis à se invicem distrahi, inque op-  
positos cœtus concessisse. Etsi verō Heno-  
ticorum plurimi, cū veterum, tum recen-  
tiorum, haud inutilem hīc operam præstitē-  
re, varii generis rationes moventes colli-  
gendo, quibus rem tam utilem, tamque de-  
centem dignè commendarent; Visum ta-  
men & nobis est, eas saltem, hōc locō repe-  
tere,

tere, & pressius urgere quæ & causæ huic intrinsecæ magis sunt, & nos denuó impulêre, post unam aliamque Commentationem nostram Irenicam, utut hostiliter satis ac contumeliosè à nonnullis bella meditantibus & ad arma vocantibus, quoties de Pace verba fiunt, exceptam, postremum hocce de mutua Evengelicorum Tolerantia Scriptum edere.

§. II.

In hujusmodi Momentibus Rationibus PRIMO se LOCO offert Controversiarû Protestanticarum insignis PAUCITAS, & mira harum paucarû EXILITAS, si nempe eas eximas, quæ de Adiaphoris vulgò dictis restant, & quarum Compositionem, simulac de Consensu Fidei Fundamentali inter Partes constare posset, suâ sponte secuturam, suprâ innuimus.

Clarissimus ac eruditissimus Ritualis Ecclesiastici, laboriosî non minùs, quàm utilis Operis Autor, Dominus D. Caspar Calvör, in *Tabula Comparationis dogmatum, quæ Evangelicos & Reformatos inter Controversiam habere solent*, doctissimo libro, cui *Fissura Sionis* nomen fecit, ad calcem adjecta, Controversias hujusmodi, secundum ductum Corporis Doctrinæ Julii Lutherani, & Confessionis Ecclesiæ Gallicanæ Reformatæ, ad quatuor hæc Capita, De Sacramentis in genere; De Baptismo; De sacra Cœna; & de Prædestinatione

pag.

pag. 157. reduxit, in quibus adhuc disfidium aliquod, seu verum, seu apparens, Protestantes inter, superesse auguratur. In capite DE SACRAMENTIS IN GENERE, postquam Consensum, respectu Efficacitatis eorum, ab utraque Parte assertæ Deoque vindicatæ ipsi, per virtutem sui Spiritûs in Sacramentis id efficienti ac operanti, de quo promissiones Sacramentis annexæ loquuntur, ad oculus monstrasset, Consensum solummodò apparentem, eoque unum verum adhuc Dissensum, respectu hujus, remanere, haud obscure innuit : Cujusmodi nempe illud habendū sit, de quo Promissiones Sacramentis annexæ loquuntur, quodq; Deus ipse, virtute Spiritûs sui, efficit ac operatur? num mera virtus Divina Gratiæque, an verò insuper ipsa Sangvinis Christi in Baptismate, per aquam, & Corporis cum Sangvine Christi, in Sacra Cœna, per Panem & Vinum significatorum, Substantia? Gallicanam enim Confessionem ambiguè hac de re loqui, dum totam Sacramentorum substantiam & veritatem ita in Jesu Christo esse perhibet, ut si quis Jesum Christum à Sacramentis separet, nihil ibi aliud, quàm umbram & fumum retineat, p. 165. id quod bifariam accipi possit, vel de Virtute Jesu Christi Sacramentis præsentem, vel de ipsa Jesu Christi, etiam quâ homo est, Substantia.

stantia. IN CAPITE DE BAPTISMO, duplicem Dissensum conspicuum fieri : (1) respectu realis Lotionis animæ nostræ in Sangvine Christi, per efficaciam Spiritûs ejus, quam Lutherani, in Corpore Doctrinæ Julio, asserant in Baptismate fieri, Confessio autem Gallicana in testimonialem commutet, dicendo, Baptismum nobis datum esse in testimonium adoptionis, ut lavemur & purificemur per Christi sanguinem. (2) respectu genuinæ causæ, ob quam infantes etiam Fidelium, baptizandi sint, à Corpore Doctrinæ Julio & Augustana Confessione, ad Nativitatem infantium omnium cum Peccato Originali, à Gallicana autem Confessione, ad Autoritatem JESU Christi, Baptismum universaliter imperantis, relatam. p. 165. & 167.

IN CAPITE DE SACRA COENA triplicem Dissensum superstitem esse : (1.) De Substantiali Corporis & Sanguinis Christi in S. Cœna, dum eadem administratur, hîc in terra, Præsentia, quam Corpus Doctrinæ Julium cum aliis Lutheranorû Confessionibus, exerte statuat atq; inculcet; Gallicana vice versa, de eadem ambigüe loquatur: quòd Christus per secretam & incomprehensibilem virtutem sui Spiritûs de substantia corporis & sanguinis sui (*de la substance de son Corps & de son sang.*) verè nos pascit, nutriat ac vivificet; Id quod duplici sensu intelligi possit: Vel hîc, quòd  
 Chri-

Christus nos nutriat & vivificet Substantiâ Corporis & Sangvinis sui, ita, ut ipsam corporis & sangvinis Substantiam, ipsissimum verum ac substantiale Corpus, in his terris præsens, nobis exhibeat & communitet; vel isthòc, quòd fructum saltem Corporis & Sangvinis, non in terris, sed in cœlo præsentium & inclusorum, quasi de cœlo nobis veluti porrigat ac exhibeat, haud secus ac si vir dives, domui inclusus, aureum, per fenestram, pauperi sive porrigat, sive projiciat. Posterius tantùm Ecclesiam Gallicanam velle, Phrasæologiam ejus ostendere. p. 170.

(2.) De Exhibitione Corporali & acceptione Orali Corporis & Sangvinis Christi, à Lutheranis itidem defensis, à Reformatis è contrariis negatis, dum Spirituales has tantùm ac Supernaturales esse contendunt. Ita, quantum in ipsis est, non equidem tollentes veritatem operationis Christi per Sacramentum in Fidelibus, tollentes tamen Manducationem Sacramentalem ipsius nempe substantialis corporis & sangvinis Christi in ipsa S. Cœna, in his terris præsentium, dum hæc verba addunt: *Breviter, quoniam hoc est Cœleste, non potest apprehendi nisi per Fidem, p. 176.* (3.) De Piorum non magis, seu Dignorum, quàm Impiorum, seu Indignorum acceptione corporis & sangvinis Christi Corporali Oralique, iterum affirmata



dinare, tantum intercedente hominum arbitrio liberò, quò liberè non - repugnant, quos, citra proæreticum suæ voluntatis consilium, ad vitam æternam prædestinavit; Reformatos per omnia secus docere; à pag. 182. ad pag. 185.

§. III.

At, si æquâ lance Causam hanc omnem mecum expendere Celeberrimo Viro placuerit, deprehenderit quàm facillimè, nec in tot Capitibus, nec in tot Caputum Doctrinis, quot commemoravit, Controversiam superesse; Eam præterea, quæ superest Controversia, tam vilem esse (non equidem respectu Objecti, circa quod versatur, quod ipsum, qualecunque tandem est, Sacrum tamen cum sit, non potest non summè excellens haberi, sed respectu Formæ suæ, quâ humana sacris mixta habet, vilia meritò in sacris æstimanda] ut Christianos inter locum hujusmodi minimè mereri queat, qui ullò pacto hos sejungere & in oppositos cœtus divellere atque disrumpere debeat. Enimverò primum Dissensionis DE SACRAMENTIS IN GENERE, Caput prorsus exspirat, quando ex Capitibus de Sacramentis duobus in Specie, in aprico fuerit positum: Reformatos Gallos asserentes, totam



tam Sacramentorum Substantiam & veritatem in Jesu Christo sitam esse, id ita interpretari, ut non solam Virtutem, sed ipsam Christi Substantiam, etiamsi non Corporaliter & Localiter, Spiritualiter intereà ac Supernaturaliter, Sacramentis, in usu legitimo, his in terris quoque, adesse, apertissimè fateantur, hòc ipsò etiam in sequentibus duobus, de Sacramentorum Speciebus, capitibus, præcipuam litigandi materiam præscindentes & abrumpentes. In Capite enim de Baptismo, non tantùm Elementum aquæ caducum, Lotionem animæ nostræ interiorem in Sangvine Jesu Christi, per efficaciam Spiritûs sui, testari ajunt, sed ita, addunt, testari, ut in Baptismo *Corpori Christi insiti, actu ipsò lavemur & purificemur per ejus sangvinem*, puta Spiritualiter præsentem, cùm absq; omni præsentia sangvinis Christi reali, merè verò objectiva & imaginativa, lavari per Sangvinem Christi actu nequeamus, actione alicujus rei corporeæ [ qualis Sangvis Christi, etiam in cœlis, quâ substantiam, est ] præsentiam ejusdem non equidem necessariò & determinatè corporalem localemque, interim Spiritualem & Supernaturalem, non minùs supponente ac inferente, atque lavacrum Baptismi spirituale immunditiem spirituales supponit & infert, per hoc lavacrum in sangvine Christi, seu, ut clariùs loqua-

loquamur, per ipsum Christi sanguinem, spiritualiter abluendam. Ob hujus præterea immunditiei spiritualis, i. e. peccati (in quo infantes Fidelium Christianorum omnes, haud aliter ac ipsorum Ethnicorum, totaliter mortui à Reformatis quibusvis censentur) spirituales ablutionem juxta atque ob Jesu Christi, lotionem Baptismalem imperantis, Autoritatem, necessario adhibendam istam sustinet Gallicana Reformata Confessio, quando, allegante *D. Calvëriô*, postquam *articulô 10. & 11.* professa fuisset, totum genus ac familiam Adami contagione spirituali, quæ peccatum Originale & hæreditarium sit, verique peccati rationem subeat, infestam esse, *Articulô 35.* subdit: *Infantes à fidelibus etiam Parentibus genitos baptizari debere.* Ut proinde etiam in *Secundo, de Baptismatis Sacramento, dicto Dissensionis Capite*, nulla amplius dissentendi materia residua maneat. Cæterum in *Tertio similiter de S. Cæna controverso Capite*, præcipuam saltem Dissensionem, quæ de Præsentia Corporis & Sanguinis Christi in Sacramenti Cœnæ legitimo usu, ex male intellectis, conficta tantum est, cessare Gallicana Confessio facit, non solum disertè enunciando: *Jesum Christum in S. Cæna nos pascere Substantiâ Corporis & Sanguinis sui, eum quidem in finem, ut cum ipso simus, & vita illius nobis communicetur, hęcque pactô Corporis &*

& Sangvinis Christi virtutem, horum Substantiis non opponens, sed arctissimè potius conjungens ac copulans, ambiguitatem etiam sic omnem à Reverendo *Calvoro* Confessione tributam, solvens clarissimè ac diluens; sed subnectens etiam: *Omnes illos, qui ad Mensam Christi sacram, Fidem puram, ceu vas aliquod, apportant, verè illud recipere, quod Signa ibi testificantur, h. e. quòd Corpus & Sangvis Christi, quibus nos Christus in S. Cœna partit, non minùs profunt ad edendum & bibendum, animæ, quàm panis & vinum Corpori profunt, Articulò 36, 37, 38; Controversiis sic duabus duntaxat, in capite de S. Cœna, superstitibus manentibus, nisi fortean Corporalis præcisè Corporis & Sangvinis Jesu Christi in, cum, & sub pane præsentia, nimis rigidè à Lutherana urgeatur Confessione, quâ ratione utiq; tres in hõc capite de S. Cœna præstantissimo, Dissensiones supersunt, ast de lanis propemodùm caprinis, i. e. de assertionibus humanis, in rebus divinis, fallibilibus, de quarum omnium exilitate paulò post dicemus.*

*In Quarto deniq; de Prædestinatione Controversia Capite, præterquàm quòd Vir Amplissimus, ex Annotationibus nostris XIV. & XVII. in Spanhemianum Protestantium Elenchum, citra omnem difficultatem, intellexerit, in intermediis duobus hujus Capitis punctis controversis, nullum omnino, ex Annotationibus*

tionibus verò XV. & XVI, in prima & quarta hujuscapitis Controversia, perquam exiguum, Lutheranos inter & Reformatos Universalistas, dissidium intercedere, de universis etiam quatuor hujus Capitis controversis Dogmatibus, Particularistas inter & Lutheranos, Dissensum, ad summum, minùs-Fundamentalem duntaxat adhucdum vigere, id quod *precedente proximè Sectione integrâ*, fu-  
 fiùs evictum dedimus; etiam nunc majorem in modum à me rogatur ac invitatur, attenti-  
 tiori animò Sphum secuturum perpendat, paucarum, quæ in universum restant, Exi-  
 litatem summam ei ante oculos positu-  
 rum.

## §. IV.

*Sicuti* enim, extra Controversias de A-  
 diaphoris communiter appellatis, *tria* fo-  
 lummodò Doctrinarum *Capita* sub disputa-  
 tionis incudem revocari queunt: *UNUM*, de  
 S. Coena in tribus hisce opinionibus: De Præ-  
 sètia nempe Corporis & Sangvinis Christi, non  
 reali, non substantiali, sed CORPORALI dun-  
 taxat; De acceptione horum itidem, non reali  
 verissimaque, sed ORALI sola; Denique de  
 acceptione simili Impiorum, Unionis cum  
 Corpore Christi & hujus Beneficiorum,  
 quàm diu in impietate sua subsistunt, pror-  
 fus incapacium; *ALTERUM* de Persona  
 Chri-

Christi, quâ unicam Idiomatum divinorum, ac nominatim Ubiquitatis, humanæ Christi naturæ corporique ejus in abstracto imperitiam Communicationem, quam tamen ipsam Julium Doctrinæ Corpus suam haud fecerit ; TERTIUM de Prædestinatione in Quæstionibus quibusdam Scholasticis, nunquam non in Ecclesia Christiana diversimodè decisis, obvium ; *Ita* tota Dissidii ratio, quâ in omnibus hisce trium dictorum capitum doctrinis, Partes à se invicem discernuntur, *vel* nulla est, saltem quâ intellectum humanum, i. e. prorsus imperceptibilis ; *vel* ad meram pertinet Logomachiam ; *vel* denique, si in re ipsa aliquod fundamentum habet, tam levis tamen momenti deprehenditur, ut in Christianismo, sublimiorem longè sibi scopum, quàm humanum sentiendi loquendique acumen præfixum habente, ne attendi quidem mereatur. PRIMI GENERIS Controversias jam tum suprâ peculiaribus etiam Annotationibus, quàm clarissimè ostendi istas esse, quæ de Persona Christi agitantur. Concessis enim, ab utraque parte, Personæ Unitate, Naturarum in una Persona arctissimè quidem ac inseparabiliter, attamen sine omni Commixtione ac Confusione, conjunctarum Dualitate, unius Naturæ Infinitate, æternæ, summæque ejus Divinitati debitâ,

alterius verò Naturæ Finitate, cum vera e-  
 jusdem humanitate, tum quâ corpus,  
 tum quâ animam, perpetuò cohæsurâ; Asser-  
 tis de hac Persona divinis pariter atque hu-  
 manis essentialibus cunctis, nullò horum  
 vel minimò exceptò, admissâ alterius Naturæ  
 absolutâ immutabilitate, quâ ne umbram  
 quidem mutationis intrinsecæ subire potest,  
 alterius verò tantâ exaltatione intrinsecâ jux-  
 tâ ac extrinsecâ, quanta in rem finitam,  
 finitate tamen suâ essentiali, per nullum no-  
 strum considerandi modum, immutandâ, ne-  
 dum privandâ, cadere potest: His, inquam,  
 omnibus, ab utraque Protestantium Parte,  
 sincerè & citra omnem fucum vel tergiver-  
 sationem admisis (id quod fieri ab utraque  
 Parte vel universo Christianorum orbi con-  
 stat) ne fingi quidem potest quicquam, quò,  
 hac in causa, verâ re differre inter se intel-  
 ligi possunt. Certè, si quid fingitur (cum  
 figmentorum hujusmodi, apud rixosos &  
 altercationibus suis otiosissimis immorituros,  
 finis nullus ac terminus expectandus sit)  
 Separationis tamen A - Christianæ causa, fi-  
 gmentum esse non debet. *Credit utraque  
 Pars* [sunt verba Georgii Calixti, *Judiciò  
 de Controversis &c. num. 35. Batavica Editionis]*  
*unum & eundem, esse verum Deum, & verum homi-  
 nem, unam, inquam, esse Personam, quæ Deus sit  
 & Homo, sive, quod de divinâ constet Naturâ & hu-  
 manâ*

manā, secundum hypostasim unitis, ita ut verissimè & realissimè de Deo enunciari possit & debeat, quod sit homo, sit natus, passus, crucifixus, mortuus; & rursus de hoc ipso homine, quod sit Deus æternus & immensus, Creator cœli & terra, quodque uni huic & eidem Personæ, Divina competant, ratione Divina, & humna, ratione humane Naturæ, utraque verò per unam Personalitatem inconfusè, inconvertibiliter, indivulsè & inseparabiliter unita. Plura nosse vel credere, quod ad hunc articulum attinet, ab homine Deus, ut ad sui commercium, fruitionem & æternam gloriam eum admittat, non requirit. Quî itaque nos ab eo, ut ad nostram Societatem & amicitiam eum admittamus, plura requiremus? Imò quomodo salvâ Charitate, quam Deo & proximo debemus, & salvò quod divinis mandatis debemus obsequiò, odisse & rejicere possumus eum, quem Deus amet & admittat? Non tamen tribuamus nostris speculationibus, subtilitatibus & sequelis, quas Fundamento, quale modò expositum fuit, inædificamus, sæpe, sicut sunt humana, fallacibus, ut omnes, qui de earum certitudine & veritate ambigunt, Communionem tum Fidelium in terris, tum Beatorum in Cœlis, excludamus. Non hanc nobis potestatem fecit Deus, non hoc nostri voluit esse libitùs & arbitrii, nec placere ei poterit, vel probari, si indebitam & illicitam usurpemus. p. m. 49, 50, 51.

§. V.

Ad SECUNDI GENERIS Controversias  
B 5

fias refero, quæ in capite de S. Cœna super-  
 sunt: Nam concessâ à Reformatis, in Con-  
 fessionibus suis publicis (1.) reali verissimâ-  
 que Corporis & Sangvinis Christi in S. Cœ-  
 na præsentia, quam meliores Lutheranorum  
 in Syngrammate Svevico non tam de Con-  
 junctione illorum cum Elementis S. Cœnæ,  
 quàm de Conjunctione cum piis Commu-  
 nicantibus, in ipso elementorum S. Cœnæ  
 usu, interpretantur; [2.] Exhibitione &  
 Acceptione ipsius Substantiæ Corporis & San-  
 gvinis Christi, realissimè verissimèque (quo-  
 niam spiritualiter & supernaturaliter) præ-  
 sentium, Spiritualibus & Supernaturalibus  
 admisis; admissâ etiam (3.) Exhibitione ea-  
 rundem Substantiarum Spiritualis, impiis fa-  
 ctâ, per impietatem autem horum, Christi  
 carnis & cum hâc connexæ vivificationis  
 spiritualis incapaces eos reddentem, repu-  
 diatâ, quid controversiæ de *Corporali* Præ-  
 sentia & *Orali* Manducationis *Modis* reli-  
 quum manet, quod non in meras logo-  
 machias recidat? Agnovit id omne, quod  
 nunc dixi, doctrinâ non minùs, quàm ani-  
 mi moderatione Theologicâ præclarus Vir,  
 hodieque de ecclesia Dei optimè merens,  
*Joh. Fabricius D. & P. Helmstadiensis* *celeber-*  
*rimus*, qui postquam [1.] non ex turbidis (ut  
 ipse loquitur) Doctorum Reformatorum par-  
 ticularium lacunis, sed ex fonte publica-  
 rum



rum Confessionum, mentem sententiamque Reformatæ Ecclesiæ de S. Cœna hausisset percepissetque à pag. *Considerationis Controversiarum* 492. ad pag. 502; (2.) Præsentiam Corporis Christi duplicem docuisset, aliam Naturalem, quæ corporis Naturam & conditionem sequitur, unicam illam IN COELIS Dimensionalem ab ipso dictam, aliam Supernaturalem, mysticam & gratiosam, quæ sequitur conditionem & qualitatem Corporis gloriosi p. 516. (non secus atque nosmet retrò inter Corporis Christi Præsentiam corporalem localemque in cœlis, & inter ejusdem præsentiam spiritualem & supernaturalem in Cœna Domini, sæpius distinximus]; (3) fassus fuisset, non opus esse talem in Cœna ponere rei terrenæ & cœlestis Conjunctionem, quasi Substantia Corporis Christi cum Substantia panis & vini, sic uniretur & coëxisteret, prout illa cum nostra jungitur; & ideo Reformatis concedendum à Lutheranis fuisset, ut ejusmodi Coëxistentiam Corporis & Sangvinis Christi cum pane & vino excludant; Neque enim suos asseverare: Christi corpus & sanguinem ita cum pane & sanguine conjuncta esse, ut iis inhæreant, aut includantur, eoque sufficere, si Reformati fateantur, elementa S. Cœnæ esse media à Deo ordinata, quibus, dum ipsa, *Convenienter, Oraculiter & naturaliter* sumuntur, pariter Corpus

pus

pus & Sanguis Christi verè & essentialiter, Supernaturali tamen modò, sumantur & accipiantur p. 513; (4.) ex Syngrammate Svevico profitentes Autores adduxisset: Impiis ac infidelibus Deum ( adde Carnem Christi vivificam ) absentem esse, proindeque nec illos Deum ( carnem Christi vivificam ) edere p. 534; tandem tres has interserit partim, partim subnectit Conclusiones suas non ingenuas cordatasque magis, quàm verissimas, & uniendis Protestantibus apprimè utiles: (I.) *Ex quibus, inquit, patet sanè, non negari à Reformatis veram & substantialem corporis & sanguinis Christi presentiam in S. Cœna, sed certum ejus modum, & oralem illorum manducationem, quæ fiat tam ab indignis, quàm dignis hominibus, p. 503. in fine.* (2) *Parum ergò aut nihil ( præter Logomachiam ) in hac Controversia de S. Cœna remanebit, in quo nos inter & Reformatos realis sit Dissensus. Nec sanè tanti momenti videtur viris judiciò & Pacis studiò præditis Controversia, in specie de Impiorum manducatione, ut propter eam vinculum pacis disrumpi & disruptum manere debeat. Quid ad nos illi, qui speciem quidem habent membrorum Christi, re verà autem sunt membra Satanae & foris, h. e. extra Ecclesiam sanctam, constituti? &c. &c. p. 584, 54.* (3.) *Si autem nullò modò conciliatio & concordia inter dissidentes sequi potest, contentiones tamen missæ sunt faciendæ, & Tolerantia Christiana utrinque colenda est, aded-*  
que

que neutra pars, ob Dissensum hunc, Hæreseos postu-  
landa aut condemnanda, p. 531. in fine.

## §. VI.

TERTII GENERIS Controversias con-  
stituunt quæ de Prædestinatione Caput in-  
grediuntur ; Id quod iterum ex Theologi  
Lutherani suo tempore celebratissimi Chri-  
stiani Drejeri hisce *Judicii ejus de Colloquio Cas-  
sellano* colligere verbis in promptu est, proli-  
xius à paulo antè laudato D. Fabricio recitatis  
p. 563. : Prædestinationem quod attinet  
(ait Drejerus) occurrunt fanè sententiæ  
fatis diu ventilatæ : An Deus velit omnium  
& singulorum hominum salutem ? An Chri-  
stus pro omnibus & singulis sit mortuus ?  
An Deus omnes & singulos per verbum  
vocet eò fine, ut convertat, regeneret, sal-  
vet ? An Deus, quos in Christum creditu-  
ros, & in fide perseveraturos prævidit, ad vi-  
tam elegerit, & quos non credituros, vel  
non perseveraturos prævidit, reprobaverit ?  
*In quibus Nos omnibus affirmativam tenemus, Re-  
formati plerumque negativam. Nos pro sententia  
nostra habemus antiquos Doctores in Græca & La-  
tina Ecclesia usque ad Augustini tempora ? Hi pro  
sua habent Augustinum & multos in Ecclesia Lati-  
na Doctores præstantissimos Augustinum sequentes :  
Qui sicut propter istam non sunt rejecti & damnati,*  
sic

*sic etiam nec damnari nunc possunt qui eorum insi-  
 stunt vestigiis. De omnium verò trium generum  
 Controversiis Protestantibus juvat subnectere  
 Judicium Viri Clarissimi Doctissimique D.  
 Samuelis Werenfelsii, ex Dissertatione elegantissi-  
 ma de Logomachiis, jure suo meritòque alle-  
 gandum, & tam primæ meæ, Tolerantiæ Prote-  
 stantiæ svadendæ, rationi moventi finem im-  
 positurum, quàm affirmanti mihi ex asse ad-  
 stipulaturum, nullum scil. inter Protestantes,  
 Doctrinarum respectu, Fundamentalem Dis-  
 sensum intercedere. Tantarum, ait, irarum (Pro-  
 testantibus verò intelligit) Causa est non aliquis  
 in Fundamento Fidei Dissensus, sed (quod nemo  
 non videt, qui modò rationis aut compos est, aut  
 aurem illi præbet) in paucis quibusdam, si non levi-  
 bus, certè Fundamentum Fidei non subvertentibus.  
 Equidem non omnes, ne quis subdolè me agere existi-  
 met, non omnes, quotquot inter nos (Protestantes  
 intelligit] addens, [notum enim est de quibus lo-  
 quar) Controversia sunt, meras Logomachias esse  
 affirmo; Est interdum verus Dissensus fateor, quem  
 si quis non de re prorsus nihili esse dicat, non repu-  
 gno; Sed qualiscunque sit, certissimum illud est, non  
 ea, in quibus verus Dissensus est, tanta inter Partes  
 excitasse odia, tamque difficilem hodie Pacem facere;  
 sed ea, in quibus falsus Dissensus esse videtur. Planè  
 ut Logomachiis solis, non veris controversiis, quicquid  
 hic mali est, sit imputandum; Quibus resectis, si  
 tandem aliquando alii alios intelligere vellemus,  
 super-*

*superessent quidem inter nos Dissensiones, sed longè  
& LEVIORES, & PAUCIORES, utrique parti vi-  
derentur. Cap. IV. §. 2. p. 74, 75.*

§. VII.

Sequitur SECUNDA Belli Protestanti-  
ci componendi ac Tolerantiæ Ecclesiasticæ  
introducendæ RATIO MOVENS, ad quam  
attendere ii præcipuè habent, qui τὸ ῥητὸν  
Scripturæ sacræ subinde crepant, ubi vel  
nullum est, vel quod est, ab iis servatur mi-  
nùs, pro suo interim, non verò Scripturæ  
Sacræ τῷ ῥητῷ, tanquam pro aris & focus de-  
pugnantes, cum odio etiam inextingvibili e-  
orum, qui per Conscientias suas, soli  
Scripturæ Sacræ adstringendas, suffragari  
iis modestè renuunt. Est nimirum Partis  
Protestanticæ, Lutheranis exosæ, constans  
atque perpetua, in clariora S. Scripturæ effata,  
à quibus discedere religioni sibi ducit, meritò  
servāda servataq; REVERENTIA, quâ nisi in-  
hiberentur Reformati, in castra Lutheranorū,  
utut sibi infestissimorum, fraternò à se vi-  
ce versâ complectendorum amore, succede-  
rent quàm promptissimè: Id quod Luthe-  
ranis Ecclesiasticam Reformatorum Tole-  
rantiam, & suam cum his Unionem Chri-  
stianam svadere omnino deberet. Verita-  
tem Rationis hujus moventis statuminant  
Sen-

Sententiæ Reformatorum à Lutheranis discrepantes, tam in minoris, quas Lutherani æstimant adiaphorisque accensent, quam majoris momenti proque Fundamentalibus à Lutheranis habitis christianis doctrinis. *Prioris Generis* Duo, juxta tenorem Canonis sacri, OMITTENDA, Duo itidem OBSERVANDA memorabimus; respectu *posterioris generis* in Tribus consuetis acquieturi.

*Omittendorum alterum* explicitâ, implicitâ *alterum* Sanctione Dei nititur. Quod *Explicitè* à Deo prohibitum à se arcent Reformati, à Lutheranis è contrario admissum indultumque, est Imaginum Dei fabricatio cum harum, in Sacris locis, qualicunque usu, non nudè duntaxat à Deo interdicta, *Exod. 20, 4. Deut. 5, 8.* sed & cum æternis subnexis rationibus, ob quas nullæ Dei imagines fieri debent, tam eâ, quòd nulla Dei Legem Decalogenicam dantis figura visa alicubi est, *Deut. 4. à v. 15. ad 25. inclusive*, quàm istâ adhuc magis stringente, quòd nulla Deo similis figura dari potest, eoque figura omnis necessariò commentitia sit, *Es. 40, 18, 25. c. 46, 5.*, Deo ob id abominabilis severissimèque in Ethnicis ab eodem punita, *Rom. 1, 23.*; Cui fabricationi adeò non favet præsentatio à Deo, (si quæ unquam facta est sui ipsius, visibilis & sensui externo, nec potiùs ecstática ac phantasiæ internæ exposita) ut omnino causam hæc prohibiti-

hibitioni Divinæ dedisse censenda veniat, quòd à visa aliqua Dei semet præsentantis ipsi, figura, ad hanc effigiandò imitandam sicque Deum imagine exprimendum, facile prorupturi mortales essent. *Implicitè* verò prohibitum, à quo semet abstinent Reformati, Lutheranis eòdem, vel ex solo in Reformatos odio, adhuc gavisis, Exorcismus audit, Baptismo, præter omnem Dei Christianique Autoritatem, ceu pars quædam, ex vulgi opinione, non minùs atque Lavacrum Baptismi ipsum, necessaria, annexus, sed non minùs temerè à Pontificiis Sacramento Baptismi olim adjectus, quàm temerè ab his ipsis, in Sacramento Cœnæ, Calix subreptus quondam fuit; Tantò verò justius à Lutheranis abrogandus, quantò Baptismi Sacramentum ad Fundamentum Fidei Christianæ propiùs accedere necessitatemque non nudi mandati divini, sed & medii Salutis, continere Lutherani augurantur, idque per verba Christi *Joh. 3, 5.*, non tamen evidentiori ratione de Sacramento Baptismi, quàm verba ejusdem Christi *Joh. 6. 53.* de Sacramento Cœnæ, ab iis interpretanda, quantòque magis ad Fundamentales Fidei Christianæ Articulos mediaq; Salutis, quàm ad præter-Fundamentalia quæcunque minusque necessaria, Dei illud mandatum *Deut. 4, 2.* pertinere fatebuntur.

C

Obser-

*Observandorū duorum*, quibus, solâ injunctio-  
 Christi expressæ autoritate moti Reformati, à  
 Lutheranis eatenus diversi, insistent, ad S. Cœ-  
 nam utrumque spectat : Alterum ad S. Cœ-  
 næ Symbolum ; Alterum ad administrandi  
 Symboli hujus in S. Cœna Modum referen-  
 dum. *Prius*, Panem communem & usita-  
 tum proprięque seu ῥητῶς dictum svadet Re-  
 formatis adhibendum, Scripturæ locis o-  
 mnibus, in quibus Institutionis S. Cœnæ ver-  
 ba recitantur, definitum, eoque non minùs in  
 Cœna S. retinendum, atque alterum Vini  
 Symbolum, nec magis istius locò panis spu-  
 ma, quàm locò hujus, vel aqua pura, vel vi-  
 num aquâ dilutum, substituenda. *Posterius*, pa-  
 nis Fractionem concernit, ῥητῶς proprięq; à Di-  
 stributione panis diversam, nec hęc locò  
 cum Distributione, impropriè dicta fractio-  
 ne, commutandam, quòd σῶμα Christi τὸ  
 ὑπὲρ ἡμῶν κλώμενον, 1 Cor. 11, 24., non corpus  
 ejus pro nobis distributum, sed passum fra-  
 ctumque, salvis tamen osibus non frangen-  
 dis, significat.

§. VIII.

Ita discriminis totius, quò in rebus, à  
 Lutheranis adiaphoris merè habitis, Refor-  
 mati à Fratibus suis, citra omne tamen  
 Schisma, quod nullibi non deprecantur, dis-  
 sident,



fident, Fundamentum unicum expressa S.  
 Scriptura hujusque Divina Autoritas depre-  
 henditur; quâ etiam solâ moventur iidem  
 Reformati, ut in Tribus ipsius Fidei dogma-  
 tibus controversis, nonnihil in diversum à  
 Lutheranis abeant, (I) in *Doctrina* quidem  
 de *Cœna S.* post admissam realissimam corporis  
 Christi cum Præsentiâ, Fidem quoq; ipsam  
 antevententem, tum Manducationem, Mo-  
 dum interim utriusque à Lutheranorum di-  
 versum, Spiritualem scil. solùm, Cœlestem  
 & Supernaturalem, exclusô corporali, locali  
 oralique omni, inculcantes, eatenus verò  
 suffulti iis potissimùm Scripturæ S. locis,  
 quæ Modum præcise tam Præsentiæ, quam  
 Manducationis carnis Christi, apertissime in-  
 sinuant, idque tam positivè, quòd Spiritua-  
 lis sit *Joh. 6, 62, 63.* quam negativè, quòd  
 Corporalis & Oralis non sit, i. e. nulla ex  
 parte Capernaitica, *Joh. 6. versibus à 52. ad*  
*56. inclusive,* conferendis cum *vers. 47. ad 52.*  
 itemque cum *1. Cor. 10, 16, 17.* ubi talis  
 duntaxat Communio inter poculum benedi-  
 ctum & sangvinem Christi, itemque inter  
 benedictum panem & corpus Christi, i. e.  
 inter benedicta hæc Symbola, & symbolis  
 hisce legitimè & juxta Christi institutionem  
 utentes, intercedere dicitur, qualis inter  
 unius ejusdemque panis sacri participes  
 Communio obtinet, non certè corporalis at-  
 que

que Oralis, sed Spiritualis merè, vel eaprop-  
 ter quoque ad impœnitentes & infideles  
 minimè extendenda, quòd horum Commu-  
 nio Spiritualis, non cum mensa Domini, sed  
 cum mensa Diaboli sit, impossibile verò ex-  
 istat, quempiam & Domini, & Diaboli men-  
 sæ Spiritualiter communicare *vers. 20, 21.*  
 Alium, præter Spiritualem hunc carnis Chri-  
 sti in Cœna cùm præsentia, tum manduca-  
 tionis Modum ignorant cum Scriptura Re-  
 formati, verbis institutionis S Cœnæ (qui-  
 bus de accepto, benedicto, fracto, porrecto-  
 que pane edere jusfit Christus, de eodem  
 pane enunciatis: Hoc est corpus meum) equi-  
 dem de præsentia & manducatione panis in  
 Cœna, corporali & orali, itemque de præsen-  
 tia & manducatione corporis Christi, edocti,  
 at non pari modò edocti de præsentia  
 hujus corporis ac manducationis hujus Mo-  
 do, de quo nihil determinant institutionis S.  
 Cœnæ verba, tantum de pane corporaliter  
 præfente & oraliter manducando, enuncian-  
 tia, quòd sit corpus Christi, eoque & præ-  
 fens, & manducandum, non autem definien-  
 tia vel præsentia, vel manducationis Mo-  
 dum, jam tum antehâc, à Christo *Job. 6.*  
 fusissimè & ex professo descriptum ac de-  
 terminatum, prætereaque determinandum,  
 partim ex Natura Sacramentorum, partim  
 ex Analogia totius Fidei, cujus articuli &  
 verum

verum nostrisque corporibus per omnia simile humanum Christo corpus tribuunt, non proinde, tam extra panem in prima cœna ad mensam, quàm in pane supra mensam, Corporaliter existens, ibique Oraliter manducatum; dehinc verò in cœlum corporaliter sublatum perhibent, nec amplius post ascensionem infrà in terris, sed suprâ, in cœlis, degere, *Col. 3, 1.2*, idq; tantisper, donec redeat ad judicandum vivos & mortuos, *Phil. 3, 20.21*.

( 2. ) *In Doctrina de Persona Christi*, post admissa Divina humanaque essentialia omnia in Christo, horumque ut arctissimam i. e. Personalem Unionem, ita realissimam inter se Communicationem Personalem & Concretivam, abstractivam solam exterminant Reformati, eò, quòd Scriptura S. perpetuò & ubicunque de Divinis Christo communicatis Idiomatibus verba facit, non hæc humanæ Christi Naturæ in abstracto, sed homini Christo in concreto facta prædicat, e. g. *Omnipotentiam, Matt. 11, 27. & c. 28, 18. 1 Cor. 15, 27. Omniscientiam Col. 1, 19. c. 2, 3. Sigillatim Omnipresenciam Matt. 28, 20;* quam cum etiam sibi ipsi deneget Christus *Matt. 26, 11*, Reformati porrò hoc similiaque apparentia Contradictoria, qualia etiam de communicata Omniscientia prostant. *Luc. 2, 52. Marc. 13, 32. Matt. 24, 30.* solâ scripturariâ distinctione inter τὸ κατὰ πνεῦμα &

& κατὰ σάρκα, i. e. Divinam humanamque Naturam Rom. 1, 3. 4. 6. 9, 5. 1 Pet. 3, 18. 0. 4, 1. conciliant, missum factis omnibus distinctionibus a - Scripturariis, vel Naturæ rei, de qua quæritur, i. e. corpori humanæque Christi Naturæ, vel Naturæ Conceptuum, essentialibus contradictoriis conciliandis æternum inidoneorum, adversis infestisque. Confer supra *Sectionis Oppositivæ* §. 13: De absentia etiam corporis Christi ab his terris corporali ac locali in specie, annotatis oppidò locis Scripturæ S. extantissimis. Joh. 16, 28. Col. 3, 1, 2. Heb. 8, 1. 4. Act. 1, 11. 1. Thess. 4, 16.

(3.) In *Doctrina de Prædestinatione* & annexis, post Consensum Universalistarum Reformatorum cum Lutheranis tantum non universalem & omnimodum, uti patuit supra; post Synodicam Reprobationis absolutæ, saltem quæ actum positivum, rejectionem; post concessam gratiæ cujusdam Divinæ salutiferæ, perque hanc fidei veræ etiam minus radicatæ defectibilitatem actualemque vitiò hominis, defectionem, Reformati solis Scripturæ S. evidentioribus nonnullis effatis adiguntur, ut in tribus hisce aliquatenus adhuc à Lutheranis dissentiant. (1.) in defensione à se, saltem quæ plerosque salvandos, absoluta Dei, citra prævisionem fidei decretò ejus de danda inevitabiliter fide priorem, Electione, integris propemodùm 9. & 11. capitibus

pitibus Paulinis ad Romanos, à Luthero eti-  
 am & Philippo Melanchthone, nec non plu-  
 rimis vetustiorum Lutheranorum [teste pas-  
 sim B. Calixtô Seniore] Doct̃oribus, hōc sen-  
 su acceptis, statuminatâ, fidemque non ceu  
 antecedentem eligentis Dei rationem mo-  
 ventem, sed ceu consequentem sui ipsius  
 in charitate, fidei inseparabiliter connexa  
*Eph. 1, 4.*, quin omnium fructuum Spiritûs  
 Sancti (quos inter Fides primus præcipuus-  
 que est) *Joh. 15, 16. 19.* effectum agnoscen-  
 te: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos & consti-  
 tui ut abeuntes fructum feratis & fructus vester  
 maneat. Si ex mundo essetis, mundus, quod suum  
 est, amaret, quia verò ex mundo non estis, sed ego  
 vos ex mundo elegi, propterea odit vos mundus; Ad-  
 de 1 Cor. 1, 26-29.* (2.) in defensione inæquali  
 Dei Gratia, etiam Conversionem hominum  
 antecedente, quâ fit, ut quidam præ aliis  
 inevitabiliter convertantur, ex Locis *Ezech.*  
*11, 19. c. 36, 27. 28. Jer. 24, 7. c. 31, 38. c.*  
*32, 39. 40. Matt. 11, 25. Luc. 14, 23, 24.*  
*Phil. 2, 13.* (3.) in defensione quâdam Dei gratia,  
 suâ ipsius virtute radicem Fidei in corde hu-  
 mano jactam, utut quandoque gravioribus  
 etiam peccatis quassatam, sustinente tamen  
 perpetuò & ad finem vitæ conservante, jux-  
 tà *Es. 64, 7. 10. c. 59, 21. Jer. 23, 39. 40. Hos.*  
*2, 19. 20. Joh. 10, 27. 28. c. 17, 12. 15. 24.*  
*1 Cor. 1, 8. 9. 1 Thess. 5, 24. 1 Pet. 1, 3. 1 Joh. 3, 9.*

Quæ tria etiamsi erronea forent, pro Fundamentaliter tamen erroneis haberi nequeunt.

§. IX.

TERTIA à Pace Protestantium Ecclesiastica alienioribus, ad eandem impigrè adspirandi RATIO MOVENS, cum præcedente paris omninò virtutis & efficacitatis, Seria eorum fuerit Fundamenti Suimet Consideratio ac Ponderatio, quò uti Dissensus, ita Disfidium eorum à Reformatis, unicè nititur, tribus admodum partibus constantis; quarum *prima*, nova quædam Spiritûs Sancti Formali τὸ ἐντὼν adversa & primitivæ Ecclesiæ Christianæ ignota nonnullorum Scripturæ dictorum Interpretatio est; *Secunda*, librorum suorum Symbolicorum nimia Æstumatio; *Tertia*, illegitima illicitaque Consequentiarum à se nexarum, adversæ Parti Imputatio. PRIMA PARS probatur, per omnia Dissensûs Protestantici Capita, proximè superioribus paragraphis duobus memorata: In horum enim CAPITE PRIMO Inhibitio de Deo non effigiando *Exod. 20, 4. Deut. 5, 8.* ab inhibitione de Deo effigiato non adorando, versiculis punctisque distinctissimis *Exod. 20, 5. Deut. 5, 9.* diversa, per interpretationem Lutheranam, quâ effigiationem Dei, ob solam Dei effigiati adorationem, statuit interd-

di-

dictam, reverâ expungitur, & effigiatio Dei à Deo *ῥητῶς* interdicta, ceu licita, ex odio in Reformatos, imagines Dei ad mandatum Dei averfatos, admittitur, alibi interim tam sola & sine ulla adorationis injecta mentione *Es. 40, 18. seqq. v. 25. seqq.* quàm conjunctim quidem cum adoratione simul, at distinctis propositionibus (quarum altera alterius scopus non magis innuitur esse, quàm præceptum de non furando, præcepti de non adulterando scopus æstimari potest) *Es. 46, 5, 6.* interdicta, & *Rom. 1, 23, 25.* in Ethnicis improbata pariter atque gravissimè punita; semper etiam, ipsos quoque inter Christianos, Pontificios ad minimum, adorationis periculo summo exposita.

**IN SECUNDO** Exorcismus, citra omnem auctoritatem ac institutionem Christi, Baptismo assutus, etiam citra similem auctoritatem omnem, isti, ceu succinctus quidam minimèque tralatitius Baptismatis Commentarius, novissimè, ex sola à Reformatis dissentienti prurigine, defenditur esse, non attentò Dei interdictò de non addendo, (præsertim ad Media salutis, quæ inter Baptismus numerari consuevit) *Deut. 4, 2.* [ut supra diximus]; insuper quoque habitâ exoriturâ, per obtentum hunc, justificatione omnium assumentorum tam Pharisaicorum, ad præcepta Dei quæcunque, quàm Pontificiorum, ad utrumque

que N. T. Sacramentum, sigillatim, assumen-  
 ti Eucharistici varii, sacræ scil. Oblatæ E-  
 levationis, Circumgestationis inque Cibario  
 Asservationis, per similem, de Commentario  
 Eucharistiæ succincto minimèque tratatio,  
 prætextum, omnino retinendarū; extenuandō  
 insuper, ex *Ψευδερμνεία* locorum Scripturæ,  
 quibus per lapsum, sub potestate Diaboli di-  
 cimus *Heb. 21, 14, 15. Eph. 21, 2.* Gratia  
 foedere, non cum adultis solū, sed &  
 horum liberis, initō *Act. 2, 39.* quasi Chri-  
 stianorum liberi ante Baptismum impetra-  
 tum, actu adhuc sub potestate Diaboli de-  
 gerent, tales etiam in utero materno per  
 tot menses gestati, cū tamen illi ipsi, ceu  
 semen Fœderatorum Dei adulatorum, pote-  
 stati Diabolicæ erepti & Fœderaliter sancti,  
*1. Cor. 7.* Baptismate sacrō, ceu Fœderis  
 Gratia signō sigillōque, ad mandatum divi-  
 num, insigniantur, & Sangvine Christi Spi-  
 ritualiter abluti, Gratiā Dei, ad Conditiones  
 Fœderis implendas, donentur & intruantur.  
 INTERTIO, per coactam τ& fregit, in insti-  
 tutionis verbis, interpretationem, quā pro τ&  
 distribuere accipiendum illud esse conten-  
 ditur, Fractio panis accepti & benedicti, à  
 Datione seu Distributione, diversa, ad solum  
 testificandum à Reformatis Dissensum, Cœ-  
 nā S. exterminatur, non reformidatis, vel τ&  
 φητ& & significationis propriæ, actionis item  
 Chri-



Christi, dationem Panis proximè antever-  
tentis perque τὸ facite, ad imitandum nobis  
injunctæ, neglectu; vel manifestissimâ verbis  
Christi illatâ Tautologiâ, quâ distribuisse Panē  
Salvator, seu discipulis dedisse, bis dicitur; vel  
emphaticæ de κλωμένω s. fracto Christi corpore  
1 Cor. 11, 24. expressionis, [à qua tota Eucha-  
ristiæ administratio Spiritui Sancto frequētis-  
simè, panis fractio dicitur,] immani contorsione.

IN QUARTO CAPITE ver-  
borum S. Cœnæ ὀριστικῶν : Hoc est cor-  
pus meum, Prædicatio propria, per rerum, i. e.  
subjecti & prædicati Naturam, impossibilis,  
sive subjectum, hoc, panem solum, sive com-  
plexum ex pane & corpore, significet, eoque,  
in nulla verborum S. Cœnæ interpretatione,  
exceptâ unicâ Carlstadianâ, locum repertu-  
ra, sola tamen præsentiam corporis Christi  
in S. Cœna Corporalem, hancque insequen-  
tem Manducationem ejusdem corporis Ora-  
lem, indignis pariter ac dignis communem,  
enixa est, originem datura implacabili ad-  
versus Reformatos, propositionem dictam ad  
modum omnium Sacramentalium, impro-  
prium opinantes, inque Præsentia ac Man-  
ducatione corporis Christi in S. Cœna spiri-  
tualibus, ceu realissimis, quarum, per carna-  
litatem suam, impii participes reddi neque-  
unt, subsistentes) odio, per duo propemo-  
dum Secula propagato, porròque ad poste-  
ros,

ros, cum novo subinde incremento, charitatis Christianæ vel minimas scintillulas tandem suffocaturus, transmittendo; Cùm tamen, sicuti *Oralis manducatio* (falsò nuperimè ingenuò cordatòque D. *Fabriciò Helmstadiensi, Defensionis suæ p. 18. lin. primâ*) ita pari ratione corporalis quoque præsentia, **SCRIPTURALIS** non est, ut oppidò Hedionis hîc consilium valere idem rectè pronunciet Fabricius, hisce verbis conceptum: *Confessio de Cœna Domini sit, quòd Christus, ut in ultima Cœna, ita etiam hodie, discipulis suis & credentibus, quando juxta verba Christi: Accipite, edite, hoc est corpus meum, Cœnam servant, in hoc Sacramento, suum verum corpus & sanguinem, verè ad manducandum & bibendum dat in cibum animarum vitæ æternæ, ut ipsi in Christo, & Christus in nobis, manere possit. Vide Forbesii Considerationem Controversiarum editionis novæ p. 567. circa finem.*

**IN QUINTO SEXTOQUE** capitibus, palmaria Dissensûs Protestantici causa, præpòstera dictorum quorundam Scripturæ audaxque nimiùm interpretatio existit Lutherana. **ISTIC** quidem, istorum præcipuè dictorum, quæ Christo, in concreto accepto, seu Personæ Christi, propterea nominatim quòd Filius hominis est, Divina quædam data commemorant. *Matt. 28, 18. Joh. 5, 22. 27;* Id quod Fratres Lutherani de humana præcisè Natura Christi, deque datione merè  
tem-

temporali explicant, perque hæc ita explicata ad aliorum quoque Divinorum Attributorum, de quorum datione Scriptura S. tacet, Communicationem abstractivam, sigillatim Omnipræsentia Divina, Naturæ Christi humanæ impertitam, procedunt, minus attendentes, tum à prædicatione Concretiva ad abstractivam, violentam neci consequentiam, tum filium hominis, cui Divina data sunt, κατ' ἐξοχήν accipi, illumque emphaticè indigitari, qui solus, exclusis reliquis omnibus hominum filiis, unigenitus Dei filius existit, cuique ut Divinam essentiam Pater, ita omnia Divina, actu eodem, ab æterno dedit *Joh. 5, 26.*, in tempore cum humana Natura, à qua filius hominis appellatur, unienda, ipsoque factò unita, Unionem scil. Personali, similique i.e. Personali Communicatione, eoque non in abstracto, sed in concreto eidem Naturæ tributa; *Hic* verò illorum Scripturæ S. dictorum, quæ partim de absoluta liberrimaque Dei Prædestinatione, s. Electione Dei ab æterno (qualia sunt *Rom. 9, 11. 12. 13. 15. 16. 18. 23. Eph. 1, 3. 4. 5.*) partim de gratia Dei absoluta nulloque nostro opere antecedente, ceu conditione prævia, provocata (qualia sunt *Rom. 11, 4. 5. Matt. 11, 25. 26. Luc. 12, 32. 1 Cor. 1, 21. Col. 1, 19.*) loquuntur, quæque cuncta Lutherani nec de alia electione, quam ex  
*Rom.*

*Rom. 8, 29.* prævisionem conditionis alicujus humanæ, vel per vires gratiæ resistibilis, vel per naturales vires ad desiderium verbi divini audiendi usque porrectas, præstandæ, habente antecedentem; Nec de alia gratia, quàm desiderium audiendi verbi Divini in Naturalibus hominum viribus adhuc superstes, insequente, ex *Act. 8, 28. seqq. capiti 10, 33.* interpretantur; parum memores, & Prognosin Divinam vel minimi Spiritualis boni, in hominibus in peccato prorsus mortuis, præstitutum Dei æternum unà involvere, hõcque nomine *Eph. 3, 11. 2 Tim. 1, 9. 1. Theff. 5, 1. Pet. 2, 8.* mactari; & cum appetitu quodam verbum Dei legentes audientesque, à gratia Dei præventos, cumq; Lydia *Act. 16, 14.*, inter Conversionis Candidatos numerandos esse; & denique, omnes in univ ersum homines lapsos, ante gratiam DEI prævenientem, æqualiter malos reperiri, nullumque, præ altero, verbi Divini audiendi desiderio teneri posse, quin omnes æquè, quantum in ipsis est, verbum Dei stultitiam reputent, nauseentque.

§. X.

Lutherani Fundamenti, à Reformatis dissentienti horumq; defugiendi Societatem Ecclesiasticam, *ALTERA PARS*, nimia Librorum

rum suorum Symbolicorum, inque specie  
 Formulæ suæ Concordiæ, Æstumatio est,  
 in quorum naturam ac indolem, si intimi-  
 us introspicerent Lutherani, ingens iis sti-  
 mulus accederet, quô ad Concordiam tum  
 meditandam, tum ineundam, incitarentur.  
 Sunt enim Symbolici Christianorum libri,  
 quotquot dantur & dandi imposterum sunt,  
 in quantum à Scriptura S. vel expressa, vel  
 implicita obvia, sive terminis, sive propo-  
 sitionibus, differunt, humanæ fallibilisque au-  
 toritatis, eò quòd in toto suo ambitu, id est, &  
 secundum Materiale, & secundum Formale  
 suum, simul inque sensu composito confide-  
 rati, ab hominibus fallibilibus errorique ob-  
 noxiis, adornati sunt, θεόπνευστοι equidem in  
 particulis quibusdam suis, quas ex Scriptu-  
 ra S. mutuò acceptas sinu suò complectun-  
 tur, in ceteris verò particulis suis materiali-  
 bus, eoque secundum Materiale etiam suum,  
 quâ partem, inque totò suò Formali, quò  
 à S. Scriptura distingvuntur nec vel inte-  
 grum Canonem, vel partem hujus constitu-  
 unt, non nisi per summam æquivocationem  
 θεόπνευστοι appellandi. Hinc porrò, in ambitu  
 suo toto accepti: (1) non Norma Fidei Chri-  
 stianæ, vel hujus Professionis, Normans pu-  
 ta, sed ad summum, Normata tantum sunt,  
 ad Scripturæ S. Normam, tam ab adornanti-  
 bus universis, quam à recipiente quocunque,  
 uni-

unicè exigenda, nisi alioquin vel isti, Fidei Christianæ Dictatores, anti - Christianam Papalis Auctoritatis Cathedram ambientes, vel hi, hominum, quâ fidem, mancipia & carbonariæ persuasionis Parasiti gestiant haberi. Ut adeoque totorum eorum veritas nunquam supponenda, sed prius quàm supponitur, examinanda, nec alia, quàm fallibilis (si nempe omnes ejus particulas in sensu composito unâque cum Formali spectes) habenda. (2) Conscientiam hominis non simpliciter nec perpetuò & immutabiliter, sed limitatè, quatenus cum Scriptura S. congruunt, adque illud solum tempus, obligant, quò de veritate eorum persuasa cujusvis conscientia est, contra conscientiam confestim peccaturò quòcunque, qui vel errori in iis à se deprehenso adstipulari pergeret, vel dissimulare errorem ibi studeret, ubi veritas profitenda publicè est. (3.) Juramenti absoluti, humanam conscientiam simpliciter & citra omnem limitationem adstricturi, incapaces prorsus sunt, nisi in verba etiam opinionesque hominum, quâ Fidem Christianam Objectivam, absolutè & citra omnem limitationem, jurare licitum opineris, hòc pacto juramentò absolutò confirmaturus id, de cujus veritate, utpote fallibili, non potes non incertus esse. Exempla absolutè in leges quasdam jurantium, ex  
fa-

facris petita 2 Reg. 23, 2. 3. Ps. 119, 106.  
 haudquaquam contrarium svadent, cum  
 in locis allegatis non in symbolicos libros,  
 quibus humani quid fallibilisque innexum  
 est, sed in Canonem Dei Legisq; ejus exactè  
 infallibilem, juratum absolutè fuerit, id quod  
 legitimè fieri posse *εξαναμνον* existit. Ut  
 proinde nec Magistratum quemcunque, si-  
 ve Ecclesiasticum, sive Secularem, Juramen-  
 ta absoluta in Libros Symbolicos expetere  
 deceat, inque solis Juramentis hypotheticis,  
 istorum respectu, acquiescendum veniat,  
 absolutis juramentis promissoriis fidem Chri-  
 stianam, hujusque professionem soli Sacro  
 Canoni V. & N. T. reservandis ; nec exti-  
 mescendæ hîc technæ sint & elusiones,  
 quas hypothetici Juramenti tegumentô  
 palliare quispiam posset, vel scandala exhor-  
 rescenda eorum, qui hypotheticis juramen-  
 tis nullam obligationem inesse persuasi, fi-  
 dem datam minùs servarent, vel moranda  
 exceptio : In Alcoranum perinde Juramentum  
 Hypotheticum præstari posse. Quandoquidè  
*priora Duo* quæ objiciuntur, ex accidente eveni-  
 rent, per se autè peccaretur, si fallibilium veri-  
 tati absolutô obstringeremur juramentô : ma-  
 la etiam facienda non sint, ut vel bona inde  
 eveniant, vel mala, præsertim accidentalialia,  
 evitentur ; *Tertium* verò supponit id, quod  
 neutiquam concedi potest, ( in Alcoranum  
 D vid.

videl. similiaque infidelium commenta, hypotheticum Juramentum præstari posse,) cum sic juramentum manifestè profanaretur, ista etiam absolutè potius abjuranda sint.

§. XI.

Quòd in specie ad Formulam Concordiæ Bergensem Lutheranorum, Reformatis infensorum, Symbolicum librum proprium, hujusque indolem ac naturam, attinet, annotandum : (1) Non inter Symbolicos Lutheranorum Universales, sed Particulares tantùm, ab ipsis etiam Lutheranis numerari, quippe non ab omnibus Lutheranis, sed nonnullis tantùm, utut hodiè majori horum parte, receptam. (2.) Formulam hanc, præcipuè ob Controversias, inter Augustanæ Confessionis Theologos subortas, & ad has sopiendas decidendasque compositam & adornatam fuisse, uti testatur Rubrica ipsius, eoque contra Reformatos præcisè, non usque adeò rigorosè tantòq; cum impetu à Lutheranis iis urgeri posse, qui Reformatos Augustanæ Confessionis Socios inficiantur. (3) Eandem Formulam minùs-Fundamentalia Fidei, i. e. ad fidem salutemque parùm necessaria juxtà ac fidei Fundamentalìa, i. e. magis maximèque ad salutem necessaria, unò Volumine comprehendere, atque idcirco, in quibusdam e-

jus



ius Dogmatibus, dispensationem saltem ea-  
 tenus fieri posse, ut condemnationes adver-  
 sus aliter sentientes, audaciùs in ea latas, à  
 Lutheranorum istis, qui eidem addicti adhuc  
 manent, aboleantur, hæque cessare jubeantur,  
 præsertim, cum certaminibus inter indubios,  
 etiam ex propria hypothefi, Confessionis  
 Augustanæ Socios hodiernos, Ubiquitatem  
 seu Omnipræsentiam Corporis Christi inficia-  
 tos alios, alios ex adversò omni conatu ad-  
 struentes, & ansam olim dederint, & adhuc  
 suppeditent gravissimam, quin totum illud ob-  
 staculum absolvant, quò Reformati à Luthera-  
 norum societate Schismaticè excludantur.  
 Tollas enim Condemnationē negatæ Ubiqui-  
 tatis & Corporalis Corporis Christi in Cœna Do-  
 mini Præsentia juxtà ac manducationis Ora-  
 lis, (in quarum duarum doctrinarum poste-  
 riorum confirmationem, primum Dogma ad-  
 inventum unice, duobus abhinc seculis, est &  
 adhuc hodiè tenetur) quod ipsum utique pro-  
 pterea & facile fieri potest, quia omnes dictæ  
 Doctrinæ minùs Scripturales sunt; & ex  
 Charitatis Christianæ lege fieri necessario  
 debebat, cum ob assertiones minùs Scriptu-  
 rales, fratres Christianos damnare, a-christi-  
 anum pariter ac anti-Christianum existat,  
 & hòc ipsò totum Protestanticum Schisma  
 felicissimò successu è medio sustuleris,  
 nec contra Juramentum, quò Formulæ Con-

cordiæ vel absolutè Te addixisti, peccabis ullus, nisi juramentum absolutum, iniquitatis vinculum absolutum nec unquam dirumpendum, velis esse. Cæterùm, cùm Concordiæ Formula Bergensis, sex Lutheranorum Theologis obstetricibus, in lucem edita, tanto Schismati, etiam ipsos genuinos Augustanæ Confessionis socios collisuro, dederit causam, juvat hõc locõ particularisque hujus libri Symbolici occasione, observasse: (4.) Periculosum quàm maximè esse & Schismati perquàm vicinum, Symbolicos hujusmodi libros Particulares conde- re, vel etiam, citra singularem absolutam- que necessitatem, (qualis inter Christianos rarò admodùm dari potest) eosdem reti- nere, quin satius esse, abolitis hisce omni- bus, post Scripturæ S. Canonem, ad Univer- sales recurrere. Ut proinde Particulares ejus- modi libri Symbolici ne quidem necessitate expedientiæ, nedum exigentiæ, requirantur. Placet hîc mihi eximium in modum, quæ hâc de re non infimæ notæ Theologus Helmstadiensis, Gebhardus Theodorus Me- jerus, his verbis commentatur: *Et sanè, in- quit, judicio prudentum satius est, Symbola veteris Ecclesiæ repetere, quàm nova conscribere. Et, oc- casione hujus instituti, de Fide nostra quærenti, re- spondemus, esse eam quam complectitur Symbolum Apostolicum, Nicænum, Constantinopolitanum, & Atha-*

*Athanasianum, Anathematismi Ephesini, Confessio Chalcedonensis, quæ Nestorianorum & Eutychianorum reliquiis quinta & sexta Synodi opposuerunt: Quæ item Pelagianis Melivitana, & Semi-Pelagianis Arausicana Synodus, opposuerunt. His continetur, quæ credere salvandum oportet. Hist. Relig. p. m. 168, 169. Mejero Theologo Lutheranom meretur jungi Reformatus Georgius Garden, in opera Joh. Forbesii à Corse, quatuor abhinc annis, Amstelædami edita, p. 3. circa finem eo modo præfatus, ut medium insimul universalis Unionis Christianæ haud contemnendum suppeditet: Si omnes, inquit, Christianos, prout decet, anxios & sollicitos haberet facies luctuosa Ecclesiæ Christianæ, non desunt remedia, quæ hunc in finem in usum revocari possent, quorum unum tantum hic commemorabo: Scil. omnes Societates diversæ, præcisis dogmatibus uniuscujusque propriis, & ut ita dicam, characteristicis, SUAS FIDEI CONFSSIONES ad necessaria & essentialia Religionis Christianæ, in quibus omnes consentiunt, restringant, & ejusmodi Regiminis & Discipline Ecclesiasticæ Formam ac Constitutionem sibi eligant, quæ aptæ evadant, tanquam lapides præparati ac politi, cum aliis concurrere ad edificium spirituale Domûs Dei constituendum, quod, si Spiritu Dei animetur, evadet mysticum Corpus Jesu Christi.*

§. XII.

TERTIA denique Fundamenti Lutheranani

rani PARTICULA, quâ credere inducuntur, se inter, & Reformatos, Dissensum Fidei fundamentalem intercedere, disidii cum his sui irreconciliabilis sustentaculum, ut opinantur, efficacissimum justissimumque, est illegitima *Consequentiarum*, à se ex Doctrinis vel quorundam, vel omnium Reformatorum, pronâ sibi visâ nexarum illatione Doctoribus ad minimum Reformatæ Ecclesiæ universis, facta *Imputatio*, quam si ad Regulas tam Juris Naturalis, quam Divino-Evangelici exigerent Lutherano-Evangelici Doctores, etiam citra ullum Consequentiaæ nexum, tam à dissidio suo capitali, quam à dissensûs fundamentalis persuasione indèbita, recedendum sibi, & cum Reformatis in gratiam redeundum esse intelligerent, maximè, si prætereà in memoriam sibi revocarent, judice *Huttero*, eum demum fundamentalem errorem esse, qui directè, *πρωτως* & immediatè, tam verbis, quam sensu, non verò reductivè & per Consequentias in Articulum fidei & salutis impingit, *Irenic. cap. 13. init.* Illegitimam Consequentiarum Imputationem dum nomino, nec virtutem earum ac efficaciam, nec usum, quem in omni Doctrinarum ac Disciplinarum genere eximium prorsus habent, ullus venio inculpatus, probè gnarus, tam ex vero nihil nisi verum sequi, & ex quo (validâ consequen-

quentiâ) falsum sequitur, id ipsum quoque falsum esse; tùm, Deum Christumque & Apostolos, Ecclesiâ Christianâ Catholicâ per omnia secula hos perpetim æmulante, tam suas doctrinas Consequentiarum illatione stabilivisse, quàm adversariorum evertisse, quin ipsam Scripturam S. per suam ipsius indolem, quâ rationalissima existit, legitimarum consequentiarum & feracissimam, & tenacissimam, & imperatricem non minus quàm commendatricem studiosissimam existere; (Unde Consequentiarum præstantissimum usum XI. Disputationibus acutissimis asseruit defenditque B. Spanhemius Senior *Syntagm. Disp. Parte posteriori, Disputationibus postremis*, itemq; Duisburgenses *in Disput. Select.*; ) sed de sola ista Consequentiarum Imputatione mihi sermo est, quæ ne quidem in legitimis verissimisque semper atque perpetuò, nedum in illegitimis & fallacibus Consequentibus, locum repererit, idque acutioribus Lutheranorum Doctõribus ipsis iudicibus, quos inter nunquam non Hülsemannum, acerrimum licet Reformatõrum Adversarium, numerandum duxi. Hic enim in *Calvinismo sua irreconciliabili*, de Consequentibus earumque valore & imputatione sententiam dicturus, *Quest. 4ta, num: 7. paragraphis aliquot*, Lectoribus suis inculcare operæ pretium æstimavit, Differentiam Consequentiarum, tùm quoad

majorem, vel minorem reatum earum, tum quoad hinc pullulantem Tolerantiam Ecclesiasticam, constituendam omninò esse, ponderandasque istas, & *ratione Objectorum*, circa quæ versantur, Fundamentales puta Fidei Christianæ, vel minùs-Fundamentales Articulos; Et *ratione Præmissarum*, ex quibus eliciuntur, quæque sint vel ῥητῶς, saltem æquipollenter, Biblica, vel Confectaria duntaxat, inde deducta, ex quibus per climata ad absurdum descenditur; Et denique *ratione Qualitatis*, seu Modi, quò inferuntur, vel evidenti, ut nemo sanus vim Syllogistiæ effugere possit, vel inevidenti, ut etiam ingenuus Deumque timens veritatisque studiosus, adhibitis licèt nervis omnibus, tamen confiteri necesse habeat, se Consecutionis vim assequi haud posse. Etsi vero juxtà singulas Consequentiarum ab Hülsemanno doctè verèque constitutas differentias, haud difficile foret evincere, ex Consequentis, à Lutheranis Reformatæ Ecclesiæ impactis, causam nullam deduci ostendique posse, ob quam Lutherani disfidium istud pœnitendum Ecclesiasticum cum Reformatis continuatum velint, cùm *nec* circa Fundamentales Fidei Articulos controversiæ versentur, utpote versatæ circa has præcipuè tres, ut suprà vidimus, Quæstiones controversas: (I) Num Corpus Christi Corporaliter in Cœna, præ-

præsens sit, Oraliterque à quocunque Com-  
 municante manducetur? (2) Num humana  
 Christi Natura in se & substantia sua, sit o-  
 mnipræsens, Omnipræsentiâ Divinâ? (3)  
 Num Deus omnes singulosque homines, æ-  
 quali prorsus Intentione & Executione, tum  
 ab æterno, tum in tempore, salvos velit? *nec*  
 Biblicæ propositiones vel *ἰντῶς*, vel æquipol-  
 lenter tales, tribus his quæstionibus con-  
 troversis contineantur; *nec*, si omninò iis  
 continentur, evidenti ratione elici queant:  
 eùm à Præsentiâ Corporis Christi realissima  
 (eò ipso quia spiritualis est) ad Corporalem  
 ejusdem Manducationem, & à Manducatio-  
 ne Corporis Christi verissima (eò ipso quia  
 supernaturalis est) ad Manducationem ejus-  
 dem Corporis Oralem; & ab omnipræsente  
 toto Christo, ad Omnipræsentiâ Naturæ u-  
 triusque, & omnium alterius naturæ, huma-  
 næ scil. corporisq; humani partium, divinam;  
 in abstracto & à serâ omnes homines jam  
 lapsos servandi, salutisque media omnibus  
 sufficientissima impertiendi divina Volunta-  
 te, ad æqualem eorum omnium salvando-  
 rum intentionem divinam, vel æternam, æ-  
 qualia omnibus & singulis salutis media æqua-  
 lemque mediorum applicationem, decernen-  
 tem, vel temporariam, æqualia salutis media  
 æqualiter omnibus conferentem Voluntatem,  
 non nisi perquam inevidens procedat Con-

sequentia ; Tamen, ut omnium compendium faciam, hoc adhuc unicum agere institutam probareque quàm brevissimè, maximam sic Pacis inter Protestantes Ecclesiasticæ remoram amoliturus : *Consequentiarum imputationem* illegitimam esse, quodocunque Protestantium Pars una, alteri, etiam citra latam culpam *ignoratas, negatas ac impugnatas*, quin execratas dirisque devotas omnibus, transcribit ac imputat. Ubi istud solummodò mihi sumo, probationis haud indigum, quippe ab utraque Protestantium parte, vel per instrumentum Pacis Osnabrugensis dandum : Ab utraque Protestantium parte non minùs, atque à parte Catholicorum dictorum, honestæ ac ingenuæ mentis indolisque cum erga Deum hujusque revelationem, tum erga homines cumque his conversationem, reperiri plurimos, non Laicos duntaxat & Auditores, sed & Clericos Ecclesiarumque Doctores, eoque tales, qui contra conscientiam suam errori fibi evidenti, ne uni quidem, nedam pluribus, æterno cum animarum suarum periculo, adhæsuri inque iis continuaturi sunt.

§. XIII.

*Prior Assertionis Pars, quæ ignoratas alterius Protestantium Partis Consequentias im-*



imputari eidem vetat, probatur, partim ex legitima Imputationis abstractè præcisèq; tam à materia specifica circa quam versatur, quam à Subjectis determinatis quæ ab Imputatione afficiuntur & denominantur, (cùm Activo, seu Imputante, tùm Passivo, seu Imputationem sustinente]; partim ex legitima Imputationis concretè, tam cum Materia Religionis Christianæ, quam cum Subjectis christianam Religionem fidemque amplexis, acceptæ, natura & indole.

(1) Ex Natura & Indole legitima Imputationis abstractè acceptæ, quæ omninò supponit, uti proximè Agentis Voluntatem liberam, libertate indifferentiæ, circa rem imputabilem, vel sibi imputandam, (id quod prolixius demonstratum vide, si placet, in *Originibus nostris Moralibus Dissert. IV*); ita remotè, eò verò ipsò principalissimè, Agentis hujus Cognitionem rei imputandæ possibilem. Imputari enim alicui legitime nihil potest, quod extra sphæram vel Libertatis agentis, vel Cognitionis ejus, situm est: Quale quid Consequentias, ex re quadam deducibiles, puta in universo suo ambitu spectatas, finiti saltem seu humani intellectûs respectu, esse, nemo facile ambigere potest, cum Cognitio omnium omninò Consequentiarum, vel ex unico Objecto deducendarum, comprehensivam rei illius cognitionem, qualis  
in

in hominem, in hâc saltem vita, non cadit, necessariò inferat. Hinc, uti homini alicui tantùm illa Facta legitimè imputantur, quæ & scire, & velle, vel nolle, poterat debetque, ita multò magis illæ solæ Consequentia imputabiles sunt, quas vel scire potest, vel scire obstrictus est. Ex quo sequentia Confectaria sponte suâ fluunt: (1) Evenire posse, ut ex alicujus Thesi, seu Hypothesi, absurda quædam fluant, quæ tamen eidem minùs legitimè imputantur. (2) Tantò vel minùs, vel magis legitimè alicui aliquid imputari, quod ex thesi ejus rectè deducitur, quantò & deductum, & deductio- nis modum magis vel minùs cognoscere vel aptus natusque, vel obstrictus atque obligatus est. (3) Tantò vel graviùs, vel leviùs, peccare, qui ex thesi alicujus malè deductum, vel cum majori minorique scientia sua, vel cum majori minorique importunitate, isti attribuit ac imputat.

(II) Ex Natura legitimæ Imputationis concretè cum Materia Religionis Christianæ, & cum Subjectis tam Imputantibus, quàm Imputationem sustinentibus Christianis, acceptæ: Nam sub Christianismo, i. e. sub Fœdere Gratia, ut in rebus agendis, ita adhuc magis, in rebus cognoscendis, extra scil. consequentia humanæ sphæram haud sitis, eoque non mysteriosis, consequentiarum hu-  
ma-

manarum (utut non divinarum, quandoque unà cum mysteriis ipsis, in Scriptura Sacra clarè traditis, revelatarum) planè incapacibus, nihil alicui imputandum est, quod ex infirmitate humana, indeque citralatam culpam, vel peccatis, vel ignorat; Cùm ea sit sub Christianismo Fœdereque Gratiæ, misericordis Dei ἐπιείκεια, quam imitari omnibus Christianis injunctum est *Luc. 26, 36, 37. Mats. 5, 48.* aliisque locis quam plurimis, ut, propter Christi meritum, ex ignorantia & imbecillitate, admiffa quæcunque, vel externa & operis, vel interna & mentis, etiamsi nunquam animadversa, eoque nunquam singulariter emendata, vel emendanda, imputari alicui velit neutiquam. Id quod Paulus Apostolus exemplò propriò illustrat confirmatque, expressè testatus, sibi, utut Blasphemanti & Contumelioso, gratiam tamen à Deo factam ideò esse, quòd ignorans fecisset fidei expers, eoque citralatam culpam, utut non citra culpam levem, cùm in Christianismi veritatem, luce V. T., seu Revelationis antiquioris, tanquam Hebræus ex Hebræis, imbutus, inquirere illi haud omninò impossibile fuerat, nec ab hâc inquisitione instituenda, divinâ lege ullus solutus esset. Cui non adversatur, quod sub Christianismo ipse Christus enunciat *Luc. 12, 40*: Servum, Domini sui voluntatem igno-

ignorantem, facientem tamen iniquè plagisque dignum, paucis licèt cædendum plagis esse. Nam in hóc Christi enunciató, ignorans, non absolutè nec citra omnem culpam levi majorem, extra Christianismum tamen admissam contractamque, sed tantùm comparatè talis, & cui Evangelium annunciatum non est, intelligendus venit, ad eum prorsus sensum, quò Apostolus pronunciat *Rom. 2, 12.* sine Lege peccantes, puta scientes volentesque, etiam sine Lege perituros, perinde ac in Lege, simili modò prævaricantes, per Legem damnandi sint.

Nequicquam excipitur ab alterutra Protestantium Parte: Consequentias à se ex Doctrinis partis alterius deductas, non posse à Parte illa, cui impinguntur, maximè Doctóribus istius Partis, ignorari amplius ut Legitimas, indeque non ex ignorantia, sed ex malitia hypotheses, ex quibus Consequentia fluunt, retineri, ob id omninò imputabiles & jure omni, etiam sub Evangelio, imputandas. Nam respondeo: (1) indirectè, ita negari Postulatum, etiam per Instrumentum Pacis Osnabrugensis dandum, ab utrâque nempè Protestantium Parte etiam honestæ ac conscientiosæ indolis Doctóres reperiri, contra Conscientiam suam erroribus neutiquam inhæsurus. (2) directè, in Doctóres quoque utriusque Partis Protestan-

stantiæ, cæterâ conscientiosos, ut erroneas Doctrinas præter-Fundamentales explicitas, ita per Consequentiam tales faciliùs adhuc multò, & cadere posse per infirmitatem, & ab his retineri, licèt earum admonitis, quando nimirum Consequentia & remotiores, & intricatiores sunt, accedentibus præjudiciis ex educatione, prima informatione Parentum Præceptorumque suorum, itidem Doctorum conscientiosorum, autoritate, aliisque, per infirmitatem humanam, haud facilè evitandis causis, enatis altiùsque radicatis. Nequicquam porrò instatur : Similimodò perque eadem hæc principia, ab erroribus Fidei Christianæ Fundamentalibus gravissimisque, liberari, non Pontificios tantùm, sed & Socinianos & quosvis Hæreticos, Consequentias, quas ex ipsorum doctrinis neçunt Protestantes, per præjudicia humanæ infirmitatis, ignorantes, eoque ipsis non imputandas. Nam respondeo : Nec Pontificios, nec Socinianos, nec ullos Hæreticos, ob nudas Consequentias, ex doctrinis eorum, à Protestantibus deductas, hæreseos argui, sed ob propositiones eorum dogmataque explicita, Fundamentum Fidei Christianæ evertentia, qualia sunt apud Pontificios, infallibilitas Papæ, cui Scripturæ S. totius, etiam evidentissimæ cujusvis particulæ ejus interpretatio subjacet, mandato-

datorum divinorum expressorum abrogatio & dispensatio, e. g. in Communione sub una, per anathematis fulgur, statuminata, Praxisque idololatrica varia; Apud Socinianos, Divinitas Christi cum Patre eadem summaque, hujusque Christi Satisfactio pro peccatis nostris, similiaque; Apud alios, alia vel expressis Scripturæ S. vel implicitis obviis, simulque ad Fidem & Salutem æternam necessariis perhibitis, adversa inimicaque Dogmata.

## §. XIV.

*Posterior Assertionis Pars, quæ negatas improbatasque & execratas ab altera Protestantium parte Consequentias, huic minimè imputandas censet, probatur ex hujusmodi Imputationis Natura, tam generica, quam specifica, in genere morum spectata:*  
 (I.) Ex Natura ejus generica, quatenus imputatio hujusmodi charitati proximi è diametro adversa est, meliora semper præsumendi omniaque speranti, ubicunque meliora præsumendi sperandique fundamentum justum suppetit; Ast, quando de proximo benè præsumendi benèque sperandi, respectu non agnitæ à se seu pro vera habitæ admis-  
 sæque absurdæ alicujus Consequentia, suppeti potest fundamentum justius, quam  
 dum

dum proximus non negat tantum istam  
 conceptis verbis, sed summò negationis mo-  
 dò negat, execrando eam ac detestando, i. e.  
 dissensum suum & displicentiam, quâ con-  
 sequentiam, seu absurdum aliquod per con-  
 sequentiam eductum, prosequitur, efficacis-  
 simò quò fieri potest modò, contestando.  
 Nec à Charitatis proximi gravissimè læsæ  
 culpa absolvitur imputans quispiam, dictu-  
 rus: Proximum nihilominus propositionem  
 aliquam pro vera habere, ex qua contrari-  
 um ejus, quod negat & execratur, pronâ  
 consequentiâ emanat. Nam præterquam  
 quòd parum charitatis proximi redolet, de  
 se suoque intellectu hujusque perspicuita-  
 te & dexteritate, in consequentiis nectendis  
 & harum veritate assequenda, ita præsume-  
 re, ut simile quid intellectui proximi abju-  
 dices, sicque tuum Intellectum illius cy-  
 nosuram ac Regulam constituas, etiam  
 charitas proximi evidentissimè dictitat, in  
 hujusmodi casu, ubi Tu, per veram licet  
 consequentiam, ex propositione quapiam  
 proximi, absurdum elicis, ab eodem alibi con-  
 ceptis verbis negatum ac impugnatum, de er-  
 rore intellectûs ejus simplici potiùs, quò invi-  
 tus implicatur sicq; bono animo errat, præsu-  
 mere, quàm negatum ab eo absurdum ac  
 constantissimè modis omnibus improbatum,  
 absolutè simpliciterque eidem transcribere,

E

tan-

tantóque magis ita de proximo præsumere  
 charitas dicitur, quòd præsumi nequit,  
 quempiam scientem volentemque sibi ipsi  
 contradicendum, i. e. à se conatu omni ne-  
 gatum, ultrò & citra purum putumque in-  
 tellectûs errorem, affirmaturum esse alibi.  
 Dico, citra purum putumque intellectûs er-  
 rorem, cùm ex hujusmodi negationibus jux-  
 tà ac affirmationibus, commodi temporalis  
 vel lucri nihil expectari queat.

(2) Ex Natura Imputationis hujus *Specificæ*, quâ  
 falsum de proximo testimonium perhibere de-  
 prehenditur, quisquis illi absurdum, non mi-  
 nùs proximo, quàm imputanti etiam, exo-  
 sum, & ut tale, explicitis perinde cum im-  
 putante abjectum rejectumque verbis, im-  
 putat. Nec se à dicto falso adversus proxi-  
 mum testimonio expediverit obtentu The-  
 seos cujusdam à proximo assertæ, quâ ab-  
 jecti rejectique contrarium implicitè conti-  
 netur: Nam quî & quò juris æquique colo-  
 re imputaveris proximo magis, quod impli-  
 citè ab eo affirmatum censes Tu, ipse verò  
 minùs, quàm quod explicitè ab eodem sum-  
 mumque in modum negari audis? Falsum  
 Testimonium atque mendacium non solâ  
 ejus dictione expressâ, quod à verò abhor-  
 ret, committitur atque incurritur, sed &  
 veri, vel quâ partem, vel quâ totum, iniquâ  
 dissimulatione, per quam gravari proximus  
 pot-



potest, vel ex hypothesi etiam, de vera à Te elicitâ consequentia, quâ negatum à proximo, ab eo affirmari arbitraris, eumque affirmati convincere gestis. Unde non priùs Te falsi Testimonii de proximo perhibiti immunem præstiteris, quàm absurdum à Te elicitum, tam negari à proximo, quàm affirmari eò modò dixeris, quò modò negatum ab eo affirmatumque est, scil., negatum explicitè serioque rejectum, implicitè autem, Te interim solò Judice, affirmatum.

Contrarium ejus, quod hâc assertionis nostræ parte adstruximus, non nisi perperam & per immanem Elenchi ignorationem, tam ex Praxi Christi cum Pharisæis, *Matt. 15, 4. 5.* quàm ex Praxi Apostolica, partim cum Galatis *Cap. 5, 2. 3.* partim cum Hymeneo & Phileto *2Cor. 2, 18. 18.* evincere vulgò conantur. Nam, ne nunc dicam, à neutra Protestantium parte (de quarum mutua Consequentiarum negatarum imputatione, ceu ingenti pacis Ecclesiasticæ ab iis ineundæ remora, sigillatim hîc disquiritur,) vel Pharisæos dari promiscuè, obstinatosque mandatorum Divinorum pariter ac Fidei Christianæ, per Christi licèt miracula adstructæ, contemtores, vel Christi ac Apostolorum, quâ Scripta à se Canonica, etiam in Consequentibus nectendis, divinâ infallibilitate præditos, apprimè etiam ad loca al-

legata universa ac singula annotandū, in nullo locorū eorum, adversariis, utut Fundamentaliter in Practicam aliis, aliis in Theoreticam Christianæ Religionis partem, impingentibus, imputatum quicquam vel à Christo, vel ab Apostolo esse, quod vel expressis, vel implicitis verbis isti negatum unquam iverant, nedum execratum & abominatum; sed solū de assertorum præceptorumq; falsitate, per consequentias & pericula damnaque, [quibus salus animarum hominum illorum, modò isthòc, exposita erat) à Judicibus infallibilibus admonitos convictosque fuisse. Hujus generis admonitio atque convictio inter Protestantes mutua, absque tamen Infallibilitatis jactantia, locum quoque reperit, & utrique Parti, etiam post jam initam Pacem Ecclesiasticam, quam nunc svademus ineundam, integra tamdiu servatur, quamdiu utraque Pars, in Fundamento licèt Fidei consentiens, erroribus tamen præter-Fundamentalibus obnoxia remanet. Minus providè ad Danhaueri, *in Salve Reformatorum* ab eo conscripto, pharisaicam propemodùm proditam audaciam, hïc provocatur, quâ celeberrimus ille Theologus nihil non in Theologiæ Lutheranæ Systemate orthodoxum supponit, eóq; nullarum Consequentiarum justam à Reformatis reformidat imputationem. Nam huic dicendum omnino:

Non

Non Reformatis tantum, sed Lutheranorum etiam meliori, quin majori totius Ecclesiae Catholicae parti, absurda in Ubiquetismo contenta, & Annotatione nostra vigesima, cum expressa tamen Imputationis negatione, elicitam deductaque, proniori multo Consequentiarum decursu videri defluere, quam quod absurdum quodcunque, per Consequentiam ex dogmate quopiam pauciorum Reformatorum, non certe totius Ecclesiae, elicita, huic nihilominus toti, ab Ubiquetatis defensoribus imputatum, advertitur descendere.

§. XV.

QUARTAM, eamque tam Sectioni huic Paræneticæ ad Pacem Protestantium Ecclesiasticam, quam huic Paci svadendæ præcæteris propriam ac essentialem *RATIONEM MOVENTEM*, *Φιλαδελφίας*, seu fraterni amoris Christiani Excellentia juxta atque Necesitas absolvit, quatenus iste Fraternalis Amor, Charitati Communi contradistingvitur, à Christo Domino primis suis discipulis iisdemque Christianæ Ecclesiae Doctoribus primis, ceu character tam Discipulatus, quam Doctoratus Christiani cum primis genuinus, commendatus quam studiosissimè, quin severè injunctus, lotionem quoque pedum eorum

rum charitativâ à Christo ipso peractâ, excellentissimum in modum & adumbratus, & illustratus, & confirmatus *Joh. 13.* indeque ab Apostolis quoque Christi, per prædicationem Christianæ Fidei universalem, sub *Φιλαδελφίας* nomine, Auditoribus suis omnibus, Fidem Christianam amplexis, crebrius inculcatus. *Rom. 12, 10. 1. Thess. 4, 9. Heb. 13, 1. 1. Pet. 1, 22.*

Præ locis autem omnib9 ulteriorem considerationem meretur dictum Petrinum *2. Pet. 1. vers. 5-11. inclusivè, Φιλαδελφίας* tum veros Natales, tum propriæ indolis Præstantiam, tum denique summam ejus Necessitatem pariter ac Utilitatem, expositurum, præsertim si particula *ἐν*, in acceptione sua famosissima maximeque propria (quâ & continentiam virtutalem, & efficientiam ejus, quod producendum est, connotat) capiatur, secus atque interpretes eam ceperunt apud *Polum*, in hunc locum videndi, cum famosissima, quam dixi, acceptio, contextui integro æquè atque Fidei totius analogiæ convenientissima sit, id quod usus ejusdem, in hoc textu cum primis, abundè confirmatum it. Nam uti *ἐν τῇ πίσσει τὴν ἀρετὴν ἐπιχορηγεῖν*, juxta fidei analogiam, tale Virtutis exercitium significat, quod vi & efficaciâ Fidei Christianæ (omnium Virtutum Christianarum principii primi ac feracissimi) producitur, in Fide virtualiter ac radi-

radicaliter contentum, & ab hac sola expectandum; Ita, quò minùs τὸ ἐν Particulæ in sequentibus Propositionibus omnibus, τὸ ἐπιχορηγεῖν unius Virtutis in altera imperantibus, usus prorsus ac valor idem esse intelligatur, nil prohibet, svadent potiùs omnia. Sic autem adhibita Particula ἐν, responsura quoque hòc sensu Versioni Lutheri vernaculæ, amicissimèque cum hac conspiratura, tam Natales, ut diximus, Fraternalis Amoris Christiani, quàm Indolis ejus Excellentiam, quin & summam illius Necessitatem Utilitatemque perorat. *Natales* quidem, ut stirps Fraternalis Amoris prima, Fides in Christum salvifica sit, enixura Virtutem in genere spectatam, i. e. Animum ad omne bonum dispositum, eoque etiam Adjunctis Virtutis Specierumque hujus perfectarum, puta Modestiam, Lenitatem & Patientiam (quæ Fraternalis Amoris Christiani obitetrices propriæ sunt) imbutum, à qua Virtute, seu animo ad omne bonum, per adjuncta quoque virtutis essentialia, disposito, prima Virtutis Christianæ Species, Pietas in Deum, & ex hac proximè, ἡ Φιλαδελφία, Amor Fratris Christiani, ceu inter Proximos præcipui, hujusque amoris virtute ac sinceritate, Proximi cujusvis amor christianus, alteram Virtutis Speciem absoluturus, progenerentur. *Indolis Excellentiam* per id eloquitur, quòd Pietatem in

E 4

Deum,

Deum, seu Amorem Dei, ex Fide in Christum, oriundum, proximè Amor Fraternalis insequitur (cùm Deum amare nequeat, qui fratrem suum κατ' ἔξοχὴν sic dictum & à Deo generatum, Φιλαδελφία haud prosequitur) ex hac demum Amorem Commune sincerum Christianique discipulò dignum, quippe purò corde & bonâ conscientia & infucata fide exercitum 1. Tim. 1, 5., enixurus. *Necessitatem* denique ac *Utilitatem* Amoris Fraternalis Textus Petrinus ostendit, quòd sine Φιλαδελφία seu causa, sincerus Amor Communis, qualis Christianum decet, seu effectus, exurgere nequeat, quippe ἐν Φιλαδελφία necessario, nec aliter, porrigendus & exercendus; Φιλαδελφία autem subnixus, virtute & suâ, & natalium suorum omnium, maximè stirpis suæ originariæ, i. e. Fidei in Christum, cognitionem Christi salvificam, i. e. profectum in Christianismo omnigenum, etiam vocationis electionisque Certitudinem, adaugetur, tandemque ipsum, in Regnum Christi cœlestis, aditum experturus paratissimum.

§. XVI.

Cæterum de Fraternalis Amoris vera Origine, eximia Dignitate Utilitateque multifaria, eoque de ejus loco, quem, Virtutum aliarum respectu, in Theologiæ Christianæ parte

parte Practica, obtinet, admodum honorifico, non est, quod anxius laboremus, in quietate horum omnium possessione, ab utraque Protestantium Parte, non ita difficile relinquendi; Ast, quò locò, Theoriæ Christianæ respectu, habendus sit, & num exercitium ejus, Theoriam omnem, an potius partem Theoriæ duntaxat, prærequirat, propius ad rem facit determinare, non nostris tamen, sed ipsius Christi, (quò nemo majorem unquam amorem habuit, *Joh. 15.*) tam verbis, quam exemplis, eò maximè loci conspicuis, ubi novum & Christianismo proprium futurum mandatum injunxit, Amorem scil. discipulis suis erga se invicem, quatenus & quia Christi discipuli erant, hujusmodi quidem commendans, quò ipsemet eos profecutus fuerat. Nam hòc pactò, illam, solamque illam, Fidei Christianæ Theoriam, Amori Fraternali mutuo præstruxisse intelligitur, per quam isti in discipulos, Christo adamatos, evaserant, puta Theoriam Fidei Christianæ, tum temporis initialis, Fundamentalem, Confessione Petrinâ, Discipulorum Christi omnium nomine, editâ, (*Tu es Christus Dei vivi Filius verus, Matt. 16.*) comprehensam: quippe quam Confessionem Christus Petram salutaverat, super hâc Ecclesiam suam ædificaturus, ne à portis quidem inferni superandam, quòd se ipsò, lapide angulari &

Fundamento Christianismi unico superstru-  
 eta sic esset. Hanc Theoriam, id temporis  
 Christianæ Fidei Fundamentalem, affecuti  
 fuerant discipuli Christi, non verò omnem,  
 ne eam quidem, quam de Morte ac Resurre-  
 ctione Christi, aliisque Dogmatibus, nobis  
 impræsens Fundamentalibus, utpote inter  
 creditu necessaria à Deo, in Scripturæ S.  
 Canone, relatis, tenemus. Hæc Christi disci-  
 puli, de multis adhuc Christianæ Religionis  
 veritatibus à Spiritu S. Pentecostali impo-  
 sterum edocendi, inque omnem Fundamen-  
 talem veritatem ducendi, ab ipso Christo ta-  
 men genuini æstumabantur, ab eodem ceu  
 tales diligebantur, mutuò quoque se invi-  
 cem amore fraternò, ad exemplum juxtà ac  
 mandatum Christi, perpetuò complexuri.  
 Quod ipsum non eâ mente adducimus, quasi  
 cum Thoma Hobbesio solum de Christo Mes-  
 sia articulum Fundamentalem censeremus,  
 quandoquidem *Sectione* hujus Tractatûs *Posi-  
 tivâ*, Christianæ Religionis Fundamentalibus  
 Necessariis ad salutem, tam explicitè, quàm  
 implicitè, à Deo dictis, excipiendò nullò,  
 jam tum adæquavimus; sed eò solùm ani-  
 mò, ut tam exemplò Christi, quàm manda-  
 tò ejusdem, patefceret, Amorem ab eo injun-  
 ctum Fraternalium, solâ Fundamentalium Chri-  
 stianorum Theoriâ eatenus acquiescere, ut  
 majorem amplioremque Theoriam, ad sui  
 exer-



exercitium, neutiquam prærequirat.

Id quod porrò argumentis à Natura partim Fundamentalis Theoriæ Christianæ, partim Amoris Christianorum Fraternali, desumptis, invictè adstruitur. *Priori modò*, quòd Theoria Fundamentalium Christianorum, tum ex communi Protestantium hypothese, præcipuam Theoriæ Christianæ partem, tum ex hypothese Lutherana, de nulla ad salutem bonorum operum Necesitate, eam ejus partem, absolvit, quâ quispiam imbutus, & Christianus habendus est, & per fidem, relativè solummodò eoque theoreticè considerandam, Christo unitus censetur; Ubi verò Christianus Christoq; unitus datur, ibi illicò amor non minor quàm fraternalis, locum habeat necesse est, quòd membra Christi omnia, capiti suo unita, membra quoque se inter sunt, quippe ejusdem corporis mystici membra existentia, uti capiti suo adamata, ita à se invicem amore, membris hujusmodi propriò, h. e. fraternali, profequenda. Fusiùs hoc, *posteriori Tractatu nostrò germanicò, de Unionis Protestantice Natura ac Indole*, demonstratum dedimus, cui à nemine, quod novimus, hætenus contradictum. *Posteriori modò*, quòd Fraternalis Amor à Fundamento Christianæ Religionis separare nequit, certè, inter ea, quæ salvando, saltem adultiori cuivis, absolutè necessaria sunt, à Spi-

à Spiritu S. difertis verbis reponitur 1. Joh. 4, 7, 8. eoque indubitatò Necesitatem involvit majorem multò, respectu salvandi alicujus, quàm Theoria minùs - Fundamentalium credendorum: cum hâc licèt destituti innumeri, nihilominùs salventur, dum destitutus Amore Fraternali in fratrem Christianum, haud secus atque Communi in proximum quemvis, homicida sit, vitam æternam non habens secum permanentem 1. Joh. 3. nec pro fratre habendus. Rectissimè in thesi dicitur, quod iniquè, Reformatis potissimum, applicat Joh. Meisnerus, Appendici Examinis Catechismi Palatini finem impositurus, majori multò jure autem in Lutheranos, Meisnero similes, retorquendum: *Etsi maximè, inquit, omnia Fidei Dogmata, maxima, minima omnesque Dogmatum appendices sartas atque tectas teneret Secta quædam Christiana, & in omnibus rebus, fidem ac religionem concernentibus, cum Orthodoxis, consentiret, hanc tamen unam ob causam admittenda & pro fraterna agnoscenda haud foret, quòd CHARITATEM, quam fratres fratribus debent, alteri, fundamentaliter non erranti, minùs exhibet. p. 1110.* Nam, uti egregiè differunt Theologi Aberdonienses in Judicio suo de pace inter Evangelicos procuranda: *Non solùm Theoricò, sed etiam Practicò errore fundamentalis salus amittitur: de quo erroris fundamentalis genere loquitur Dominus Matt. 5.*

19. Apoc. 2. 20. ubi de errore dogmatis practici,  
 & Matt. c. 7, 26. & Apostolus Paulus 1. Cor.  
 13, 2. ubi de ipsius praxeos errore mortifero agitur.  
 Ut erroris fundamentalis in religione hæc nobis idonea  
 definitio videatur: Error in religione fundamentalis  
 est, qui Catholicæ & salvificæ fidei articulo alicui  
 fundamentalis & primario, in aliquo doctrinæ capite,  
 universis & singulis adultis, jam indè à promulgato  
 per Apostolos Evangelio, ad salutem æternam conse-  
 quendam, cognitu credituque necessario, vel OFFICIO  
 CHARITATIS, Deo Proximove debita, sub æternæ  
 mortis interminatione, necessario, directè & immediatè  
 repugnat. Huc etiam faciunt, quæ pag. 15.  
 subnectunt: Certum est, inquiunt, longè dete-  
 riorè & incomparabiliter flebiliorem esse con-  
 ditionem illius ecclesiæ, quæ aurea suæ superædifica-  
 tionis splendore (nedum inani fortassis imagine ve-  
 ri, & fallaci propriæ opinionis speciositate) ita in-  
 flatur, intumescit, effertur, ut charitate neglectâ, a-  
 quamitate depositâ, calcatâ Christi lege, vicinas  
 Christi ecclesias in fundamento orthodoxas, & pa-  
 cem cum ea colere volentes, propter quasdam fal-  
 sarum opinionum fundamento superædificatas stipu-  
 las, fastuosè contemnat, hereseos insimulet, fastidio-  
 se rejiciat, & audacter orco adjudicet: quàm illa-  
 rum ecclesiarum, quæ fundamentum retinentes, li-  
 cèt scientiâ inferiores & in fide infirmi sint, chari-  
 tate tamen invictâ pollent.

Accedunt prætereà Argumenta  
 indirecta: Alterum quidem κατ' ἐνθρῶ  
 πού

πov ex confessione Nic. Hunnii, solum in Fundamentalibus Consensum, Unioni Protestantium Ecclesiasticæ, præstruentis, quem Consensum totô hóc Tractatu nostrô manifestum reddidimus; *Alterum* ab absurdo desumptum, quòd perfecta dogmatum Christianorum præter-Fundamentalium, etiam quâ solam Partium perfectionem, Theoria, seu Cognitio, hâcque subnixus plenus perfectusque in Theoria hac Consensus, ne quidem respectu membrorum Christianæ unius ejusdemque, nedum Partis Protestanticæ utriusque, unquam sperari & expectari queant; quâ ratione Amor Fraternalis totâ Ecclesiâ orbeque Christianô exulare perpetuò necesse haberet, nunquam in Ecclesiam Protestanticam reducendus.

## §. XVII.

*Amori Fraternali* Protestantico, cum quadam veritatis specie, opponi posse videtur *Zelus* pro Deo ejusque Revelatione quacunque, qui Heroicus quasi Dei amor sit, Fraternali Amori jure præponendus, cum Deus prius diligendus veniat super omnia, dehinc proximus & frater quicumque, ordine suô justô, ad mensuram modumque legitimæ nostrum ipsorum dilectionis. Hinc in Scriptura S. Zelotas Divinos ab ipso Spiritu S. tantoperè com-

commendari, Mosen, Pineham, Eliam; Etiam in rebus Divinis minoris momenti, Samuelem adversus Saulum Regem, Paulum adversus Galatas, locis suis notis fatis ac obviis; Quos æmulatus olim Lutherus sit, non tantum contra Pontificios, sed & Sacramentarios, & nunc Lutherani adversus Reformatos, æmulari pergant. Respondeo: (I) *Zelum* ex iis esse humanis passionibus, etiam respectu ipsarum rerum Divinarum, quæ mediæ dicuntur, vituperii non minus quam laudis capacem, prout non tantum circa Objectum vel bonum, vel malum, vel indifferens, occupatur, sed insuper debitum vel indebitum tum Modum Gradumque, tum Ordinem observat. Enimvero in ipsis etiam rebus divinis, eoque circa bonum Objectum licet occupatus Zelus, à justo tamen aberrare tramite potest, si vel Modum non teneat, ac rebus, ex æstimo Dei revelato æstimandis, proportionatus minus sit, vel non servet Ordinem, rerum minoris momenti, majorem potioreque, quam majoris rerum ponderis, rationem habens. Quò patet Carlstadii Zelum (jure, ac injuriâ, nunc non dicam) inculpant vulgò, quòd & majori, quam debuerat conatu, & prius templis ejecerit imagines, quam hominum animis. Tantò verò à justo tramite remotior est majoremque culpam incurrit Zelus, si ab Objecto  
quo-

quoque ipso aberret, vel humanum, pro Divino, vel indifferens malumque, pro bono, profecutus. Hôc pactô atrocissima quæque peccata per Zelum commissa & olim sunt, Christus ipse cruci affixus, Apostoli variè trucidati, primitivæ Ecclesiæ Martyres dirisimis modis excruciiati; & hodieque à Pontificiis, adversus utriusque Partis Protestantes, obtentu extirpandorum Hæreticorum, in variis orbis Christiani regnis, committuntur, juxta Prophetiam Christi *Joh. 16, 2. 3.* Unde frequentissimè Zelus in ipsis rebus Divinis, etiam cum magna licet ignorantia ac imprudentia minorique malitia conjunctus, à Spiritu S. notatur *Act. 5, 17. 18. c. 13, 45. c. 17, 5.*, à Paulo, cum in se ipso *Act. 8. & 9. & 22, 4. & 26, 10. Gal. 1, 13, 14. 1. Tim. 1, 13.*, tum in aliis e. g. in Romanis. *Rom. 20, 2.*, Corinthiis *1. Cor. 3, 3.*, Galatis, *Gal. 4, 17, 18.* (2.) Ut Amor quidam Dei, seu, Cultus ad Deum immediate pertinens, proximi amori cuidam, sic Zelus quoq; huic ipsi quandoq; postponend⁹ est, idq; ad Dei Christique expressum mandatum: *Matt. 12, 7. & 23, 23. Misericordiam malo, quàm Sacrificia.* Ratio hujus rei est, quòd Deus Spiritus existit, cui adeoque, spirituali, moralique Cultu, etiam mediate tantum ad eum redeunte, magis infervitur, quàm quocunque Cultu, immediatò licet, externò ac  
posi.

positivô. [3] Exempla Zelantium sacra  
 vel circa Fundamentalìa veræ divinæque  
 Religionis, quin ea universa, ut Mosis & E-  
 liæ contra Ethnicam ac Idololatricam, Pau-  
 li verò contra Judaicam, quatenus Christianæ  
 opposita erat; vel circa clarissima indu-  
 bique Dei mandata, ut Pinehæ & Samue-  
 lis occupata inveniuntur fuisse, nec ab Ob-  
 jectò, nec à Modo ac Ordine, deviantia; quæ  
 omnia in zelo, Amori Protestantico Fraternali,  
 impræfens opposito, diversâ prorsus se ha-  
 bent ratione. Enimverò Objectum, pro  
 quo zelatur ab altera Protestantium  
 Parte, abjectò intereà conculcatòque Fra-  
 ternò Amore, usque Fundamentalìa non  
 sunt Divinæ Religionis, ut ne quidem Divi-  
 na, saltem non clarè revelata, quin nonnul-  
 la etiam mandatis Divinis adversa, deprehen-  
 dantur esse. *Divina* non sunt, ad minimū haud  
 clarè revelata, vel Corporalis Corporis & San-  
 gvinis Christi, in Cœna, Præsentia; vel Oralis  
 Corporis Christi Mæducatio; vel Humana Chri-  
 sti Natura, in Substantia sua & abstractè Omni-  
 præfens, omnisciens & omnipotens; vel Æqua-  
 lis per omnia in omnes homines lapsos Gra-  
 tia Dei, tam intentionalis ab æterno, quàm exe-  
 cutiva in tempore. *Divinis* autem Mandatis ad-  
 versa insuper Ceremonialia omnia, pro qui-  
 bus retinendis tantò adversus Reformatos  
 zelò disputatur, eaque, ex mera pertinacia  
 F ducun-

ducuntur servanda. Modus prætereà zeli & Ordo iniquus est, Fundamentalem Christianæ Religionis Legem, eamque manifestissimam, (Amorem scil. Fraternalium erga omnes fundamentaliter non errantes, i. e. necessaria ad salutem omnia, verè scil. talia, seu à Deo, sive explicitè, sive implicitè, necessaria habita, tam Theoretica & Credenda, quàm Practica & Facienda, studiosè per omnia tenentes & observantes) opinionibus quibusdam ac cæremoniis humanis posthabens, eoque tantùm non exactè pharisaici zeli æmulus, doctrinas præceptaque hominum, Fide fundamentali Christianâ à Reformatis servatâ amoremque Fraternalium ab omnibus Fundamentum idem tenentibus exigente, Judiciò etiam Charitativò de erroribus præter-Fundamentalibus, si qui dantur, misericordiâ denique, seu benevolâ ita errantium susceptione ac tolerantia, antiquiora ducens. (4.) Divi Lutheri Zelus adversus Pontificiam Idolomaniam multifariam præceptaque hominum innumera, cum tyrannide, Ecclesiæ Christianæ imperata, dum nec in Capite, nec in membris, emendari vellent ulla, utut sæpius exprobrata absque ipsis Pontificiis agnita, justissimus erat, tum quâ Rem, tum quâ Gradum & Ordinem, etsi fortean non perinde



de vel quâ Originem & occasionem ; vel quâ Scopum & intentionem, saltem in initio suo, vel quâ Modum omnem, in progressu, utpote humana multa, etiam per ityli acerbitatem, passus, quo de Erasmus in quadam epistola ita scribit : *Ego Lutherum nec accuso, nec defendo, multa præclara monuit, sed utinam civilius.* Item : *In Lutheri scriptis me offendit nescio quid austerum nec satis referens mansuetudinem Spiritûs Evangelici ; Admonui, ut cum omni mansuetudine doceret ea, quæ ad veram pietatem attinent, aliàs sit, ut & monitori sua pereat Auctoritas, & monito suus Fructus.* Plurimum refert quàm in tempore, quàm commodè & attemperatè, *Veritatem proferas, libro XIV. Epistolarum Ep. 1. vide etiam Lib. VI mi Epistolam, ad Albertum Episcopum Moguntinum scriptam.* Indeque Zelus Lutheri lenitate majori, vix legitimè, nedum utiliter, quæ tùm tempora erant, moderari vel temperari oportuit. Placent omnino, quæ hâc de re Theologus famigeratissimus & de pluribus Universitatibus optinè meritus *Dn. Job. Frid. Mayerus, Grypswaldensis Accademiæ Pro-Cancellarius dignissimus, in Tractatulo de Lenitate Philippi Melancthonis Cap. 1. §. 8. nuperrimè commentatur : Clarissimè, inquit, patet, Lutheri Zelum citius sine Philippi Lenitate, quàm hanc, Lutheri Zelô destitutam, magni aliquid efficere ingentique Reformationis negotio solam sufficere potuisse.* Nam

Jam ante Lutheri tempora plurimi fuerunt, qui Pontificias Doctrinas & abusus Ecclesie Romanae, falsè exagitaverant, perstrinxerant, castigaverant. Quia verò Heroicò Lutheri Spiritu caruere, in casum ab iis laboratum videbatur: Vehementer enim errant, qui inveteratos errores receptasque hereses aculeatis dictis, leni stylò ac veluti per jocum, ex Ecclesia remoturos se sperant, cum fortiter tangenda sint ulcera solertique manu comprimenda, si exprimi sanies debeat. Itaque quemadmodum olim ille apud Homerum, ad expugnandam Trojam, non trecentos Ajaces, sed tres Nestoras sibi exoptabat; Ita è contrario ad confundendos Pontificios sistendumque eorum virus, longè aptiores videntur futuri cum Zelo suo, **TRES LUTHERI**, quàm **TRECENTI MELANCHTHONES**. At, vice versâ Zelus Lutheri similis adversus Reformatos, cæterà, vel ipsimet Luthero in Marpurgensi Colloquio orthodoxos visos, (nisi quod de unico hòc: Num corpus Christi in cæna **CORPORALITER** adesset ac manducaretur, non omnino cum eo concordarent) comuniq; cum Anabaptistis & Schwenckfeldianis, Sacramentariorū contumeliosà appellatione, solò hòc nomine, proscindens, perquam erat Inordinatus, tum quà Objectum, tum quà Modum & Ordinem, tantòque indecentior, quantò ex causis temporalibus, Calixto Seniori, ut supra diximus, notatis, profluebat evidentiùs, quantòque diligentius Philippus Melanchthon à Bello Sa-

Sacramentario pacem omnem ab Ecclesia Dei profligaturo, dehortatus eum fuerat, hunc tandem in modum, ex justissimo dolore multisque sub gemitibus, ad Henricum Bullingerum scribens: *Fortassis, inquit, priusquam hæc mea Litera ad Te perferantur, accipies atrocissimum scriptum Lutheri, in quo Bellum de Cœna Domini instaurat: Nunquam majori impetu hanc causam egit, desino igitur sperare Ecclesiarum Pacem.* Inordinatum hunc zelum optimi Lutheri, Philippicâ Lenitate, moderni Lutherani moderarentur multò rectius, quàm æmulari nimium studiosè pertendunt, maxime post tot Reformatorum sincerissimas Contestationes, quibus Præsentiam Corporis Christi in Cœna, etiam præter & ante Fidem, realissimam, utpote Spiritualem, per supernaturales Christi vires, i. e. per Omnipotentiam ejus (utut Corpus ipsius in Cœlum ascenderit, ibi solùm *Corporaliter, Dimensionaliter Localiterque* mansurum, donec ipse redeat ad judicandum vivos & mortuos) factam profitentur; Sed verò ad Pacem, Ecclesiæ Protestanticæ quondam restituendam, præter Dei Gratiam ac Benedictionem, devotissimis precibus à Deo expetendam, TRES PHILIPPI MELANCHTHONES, quàm TRECENTI LUTHERI, mihi nunquã non longè aptiores videbuntur. Adeò, Fundamentalium & Necessariorum Defensio, Lutheri Zelum; præter-

Fundamentalium & minùs necessariorum  
Affertio, Philippi Lenitatem exigunt postu-  
lantve.

§. XVIII.

Φιλαδελφίας Oppositum, vel rectiùs,  
oppositi hujus Effectus teterrimus, i. e. Schif-  
matis Turpitude, Christianæque Ecclesiæ &  
hujus Unitatis pestis nefaria ac nocentissima,  
per negatam & ampliùs negandam Pro-  
testantium Concordiam Ecclesiasticam, uti  
intègris duobus proh dolor Seculis continu-  
ata, ita non, nisi per summum Ecclesiæ Pro-  
testantiæ dedecus, adhuc porrò continuan-  
da, QUINTÆ RATIONIS, efficacissimè E-  
vangelicos ad Unionem vocantis MOVEN-  
TISQUE vicem subit meritò. Biblicis Obser-  
vationibus non infimi ordinis annumerandam  
arbitror, appellationem tam τῆ ψυχικῆς, i. e.  
animalis, seu (juxtà Lutheri interpretationē)  
Naturalis, quàm τῆ Σαρκικῆς, i. e. Carnalis,  
utriusque perpetuò τῷ πνευματικῷ opponen-  
di & contradistincti, nullis, in toto N. T.  
codice, adjectam reperiri Personis humanis  
aliis, quàm Schismaticis, i. e. vel ab aliis  
Christianis se melioribus eorumq; Commu-  
nionē sacra, semet, vel à se suaque Commu-  
nionē, alios temerè excludentibus & sepa-  
rantibus. Quod probatur Inductione loco-  
rum

rum eorum, ex Concordantiis græcis, in quibus appellationes dictæ occurrunt, determinatæ alicui hominum Speciei tributæ, nempe inductione duorum horum locorum 1. *Cor.* 3, 1. 3. 4. & *Jud.* v. 19.; utrâque verò appellatione absolutè acceptâ hominique peccatori, extra definitam aliquam peccati sui speciem, transcriptâ, significari hominem, vel Sensibus suis brutis, contra Dictamen rectæ rationis, vel saltem irrogenitæ suæ Spirituque Sancto prorsus cassæ Rationi, obtemperantem, *Rom* 7, 14. 1 *Cor.* 2. 14. Appellationis enim utriusque utraque significatio in sacris occurrit. *Prioris* scil. τῆ ψυχικῆ appellationis significatio *prior*, quâ rationali animæ hujusque dictamini opposita est, *Jud.* v. 19.: ubi ἀποδιορίζοντες appellantur ψυχικοί, tales qui ἔχουσι πνεῦμα absolutè, non tantùm non ἅγιον τὸ πνεῦμα, sed ne quidem πνεῦμα Naturale, utpote per temerariam suam Separationem proclivitatemque ad sepe- randum à piis bonisque, prædominium sensitivi sui appetitûs ac carnalis libidinis, rationis sanæ dictamini protervè insultantis, hocque violento supprimentis modò, clarè satisficati; Ejusdem *posterior* significatio *Jacob.* 3, 15. ubi Sapientia contentiosa rixosaque & ἀκατασσίαν seu perturbationem seditionemque progeneratura, ψυχικὴ appellatur & δαιμονιώδης, eademque ἐπίγειος seu

terrestris (qualis omnis Naturalis, tam Naturaliter acquisita, quam Naturaliter connata, existit) in oppositione, ad Sapientiam *ἀνωθεν κατερχομένην*, quæ sola cœlestis à Patre Luminum à quo omne perfectum donum procedit, per illuminationem supernaturalem cœlitus affunditur. Pari ratione *Posterius* appellationis, nempe *τῆ σαρκικῆς*, duplex significatio, in N. T. obvia, *Prior* 1. *Pet.* 2, 11. : Ubi *ἐπιθυμίαι σαρκικαὶ* introducuntur decertantes *κατὰ τῆς ψυχῆς* i. e. contra animam rationalem hujusque dictamina ac leges. Spiritus S. enim cum sua illuminandi ac regenerandi virtute, nullibi in S. Scriptura *ψυχῆς* appellatione venit. *Posterior* 2 *Cor.* 1, 12, & 2 *Cor.* 10, 4. in quorum locorum altero *σοφία σαρκικῆς*, seu Sapientia Carnalis, Gratia, Divinae & ambulationi in Gratia Dei (*χαρίτι θεῶ καὶ ἀναστροφῇ ἐν χάριτι θεῶ*;) eoque omnis Naturalis Sapientia animæ rationalis virtuti nativæ debita, Gratia Divinae tam illuminanti, quam regeneranti, utrique conjunctim acceptæ, Conversationis Christianæ in hōc mundō productivæ, opponitur; In altero verò loco, *ὄπλα σαρκικαὶ* istis opponuntur divinis ac spiritualibus armis, quæ efficacia sunt destruere etiam *λογισμῶς* animæ rationali corruptæ proprios, *καὶ πᾶν ὕψωμα ἐπαιρόμενον κατὰ τῆς γνώσεως τῆ θεῶ*, cujus ὕψωματος pars ex præcipuis ὕψω-  
μα

ma Rationis Naturalis, quippe cui Christiana Religio stultitia est *1 Cor. 2, 14.* & *1 Cor. 7, 24. 25.*

§. XIX.

Quemadmodum autem ex allatis modò Observationibus Biblicis, appellationes Schismati peculiare enarrantibus nobisque sisti-  
nentibus, de summa hujus Turpitudine, ad ipsius Spiritûs S. mentem, licet judicare; Ita de eadem adhuc certiores reddimur per Natales ejus, Adjuncta item essentialia atque Effecta, Fraternalis Amoris Christiani Natalibus, Adjunctis Effectisque è diametro contraria. Enimverò insigni, partim Fidei in Christum salvificæ, partim amoris Dei Christianique sinceri, defectui originem suam Schisma debet, dum Schismaticorum animus sui plenus ac superbiâ inflatus, ne primis quidem Beatitudinum Christianarum, Pauperiei in Spiritu, Luctûs ex sui diffidentia subnati, Mansuetudinis, Esurie Sitisque spiritualium, Misericordiæ ac Pacis lineamentis tinctus, nedum imbutus est, principalissimi Christi de amore fraterno præcepti *Joh. 13.* hujusque sanctissimi exempli *Rom. 15, 7.* totque admonitionum Apostolicarum, de induendis, ut Dei electos, sanctos & dilectos decet, miserationum visceribus, benignitate, animi submissi-

one, lenitate, iræ cohibitione *Coloff. 3, 12.* pro-  
 tervè negligens, ad Pharifæorum, de quibus  
 legimus, vetustissimorum Schismaticorum  
 ingenium, morem, ac consuetudinem, sibi  
 soli & affeclis suis omnem Orthodoxiam, si-  
 minùs & Pietatem, cui plerumque parum  
 studet, specie ejus externâ & putamine con-  
 tentus) vendicans, aliorum à se suisque Opi-  
 nionibus, utut vel prorsus A-scripturalibus,  
 vel nullo Necesfitatis caractere notatis, dif-  
 fidentium audacissimus contemptor &  
 condemnator. Unde Schismatis ratio quasi  
 Formalis, & Conceptus maximè essentialis,  
 his duobus continetur: (1) *Obligatione* consci-  
 entiarum ad opiniones, quibusdam placitas  
 & adamatas, Spiritui verò S. in revelato  
 à se verbo, vel planè non ita visas, vel saltem  
 non visas necessarias. (2) *Separatione* à se  
 suaque Communione Ecclesiastica, partim per  
 verbalem Condemnationem, partim per realè  
 sui suorumq; Subtractionem & à se Sejunctionè  
 scil. eorum omnium, à cætera Christianorum,  
 Fidem non minùs ac Charitatem Christianam  
 sectantium, qui opinionibus istis, per consci-  
 entiam suam, Deo soli hujusque Mandatis  
 Statutisque subiiciendam, accedere verentur  
 detrectantve. *Priori* sui parte, Schisma Jura  
 Dei involat, solius Conscientiarum huma-  
 narum assensuumque Domini; *Posteriori* ve-  
 rò sui parte, corpus Christi dilacerat, unici  
 Eccle-



Ecclesiae suae integræ Capitis summi, 'ut' unum eundemque Dominum, ita eandem Fidem, idem Baptisma, eundem Deum Patrem, & natum, & servans. *Persecutio*, Schismatis haud infrequens comes, huic tamen accidentalis tantum, & Anti-Christianismi magis (ad quem tamen à Schismate perfacilis datur transitus) proprius character remansura, uti Ecclesiae Pontificiae exemplò notoriò constat plus unò, tam respectu Orientalis Ecclesiae, per Schisma Victoris Papæ, quàm respectu Occidentalis, suæmet Ecclesiae partis, per Schisma cum Innocentii III. in Concilio Lateranensi, tum Leonis X. ac sequentium Paparum, maximè in Concilio Tridentino. Horum enim Schismatum utrumque, tandem in horribiles Inquisitiones, Persecutiones Lanienasque Christianorum crudelissimas desiit, inque his hodièque perdurat, scandalum sic gravissimum omnibus A-Christianis, Ethnicis, Muhammedanis, maximè Judæis, nullâ re magis, quàm malis his Pontificiae, Ecclesiae artibus, in incredulitate sua obfirmandis, daturum, quod proinde Schismatis infelix effectum est, incrementum prætereà veri vividique Christianismi, ipsos inter Christianos, maximopere sufflaminaturum.

§. VX.

Quò magis Protestantibus abhorrescendum

dum à Schismate se inter, est, & de aboliti-  
 one hujus ac extirpatione totali cogitan-  
 dum seriò, præsertim cùm simili prorsus mo-  
 dô exortum inter eos continuatumque sit,  
 quò olim à Pontificiis excitatum fuit & ex-  
 asperatum. Quemadmodum enim Pontifi-  
 cii, integrum Fidei Christianæ Fundamen-  
 tum, i. e. omnia ad salutem creditu factu-  
 que à Deo ipso necessaria habita, facta tecta-  
 que retinentes, non adeò, per ascititias suas  
 Doctrinas, capitales licèt errores complexas,  
 itemque per Praxes, si non formaliter, ma-  
 terialiter saltem, non unò nomine Idolola-  
 tricas (quibus utrisque superveniente, post  
 varias in gremio suo educatorum, Deum ve-  
 rò magis hujusque revelatum verbum, quàm  
 hominum auctoritatem ac traditiones ve-  
 rentium pias admonitiones ac Convictiones,  
 pertinaciâ ac obstinatione, manifestæ se Hæ-  
 reseos reos fecerunt) sed per *Obligationem* po-  
 tissimùm Conscientiarum humanarum ad di-  
 ctas Doctrinas ac Praxes, Schisma inchoa-  
 runt, idemque, per *Excommunicationem* & *A-*  
*nathematizationem*, eoque, Spiritualem *Sejun-*  
*ctionem* ab Ecclesiastica sua Societate Exclusi-  
 onemque sibi minùs obtemperantium, con-  
 tinuarunt & ad umbilicum perduxerunt, ab  
 hóc deinceps per varia persecutionum ge-  
 nera ad Spiritualem Corporalemque Tyran-  
 nidem & Anti-Christianismum, piorum  
 Christi-

Christianorum, sanguinem infatiabili siti-  
entem modò, & crudelissimâ hujus effusio-  
ne foetidissimum, grassati ; Ita altera Prote-  
stantium Pars in Fundamento Fidei Chri-  
stianæ cum altera immotè persistens, unâ-  
que cum hâc, Babylone egressa, partim Hæ-  
reticas Doctrinas Praxesque incorrigibiles  
deserendò, partim mota ejectaque, non a-  
deò per ascititias quasdam de Corporali Cor-  
poris Christi in cum & sub Pane in Cœna,  
inque omnibus prætereà locis, Præsentia,  
à Luthero introductas Doctrinas, Funda-  
mentum equidem Fidei Praxeosque Christi-  
anæ, per se neutiquam evertentes, quàm per  
Obligationem alterius Partis Conscientiarum,  
ad has ipsas Doctrinas, sive veras, sive fal-  
sas, certè præter-Fundamentales, & per in-  
secutam paulò post tam Condemnationem,  
quàm Fraternalitatis Spiritualis Christianæ-  
que Denegationem, Luthero indubiè ceu  
primo Autori vindicandam, Schisma Prote-  
stanticum infaustissimè auspicata est, ac  
temporis progressu, per Patres Bergenses  
Formulam Concordiæ strictè sic dictam hu-  
icque adjunctas Condemnationes, intempe-  
stivè ac imprudenter, ne quid gravius di-  
cam, enixos, ad fastigium promovit. De  
initio Schismatis ita novissimè Gebhardus  
Theodorus Mejerus, Theologus Lutheranus:  
*Philippi Hassiæ Landgravii, Principis oppidò pru-  
dentis,*

dentis, auspiciis, Colloquium Marpurgense, Anno  
 1529. est institutum, inter Lutherum, Melanchtho-  
 nem, Justum Jonam, Andream Osiandrum, Brenti-  
 um & Stephanum Agricola, ab una parte; ab alte-  
 ra parte Oecolampadium, Zwinglium, Bucerum &  
 Casparum Hedionem. Declaratio ibi facta CON-  
 SENSUS IN OMNIBUS FIDEI CAPITIBUS,  
 PRÆTERQUAM DE EUCHARISTIA. LU-  
 THERUS AUTEM ZWINGLIANOS, OB  
 EUM DISSENSUM, PRO FRATRIBUS A-  
 GNOSCERE RECUSAVIT, nec unquam postea  
 mitior factus *Hist. Relig. Cap. V. Sect. 16, 17.*  
 §. 42. in fine. p. m, 271. Recte Autor: NEC  
 UNQUAM POSTEA MITIOR FACTUS,  
 etsi initiô in literis ad Tigurinos Anno  
 1537., Mense Decemb. datis, videri poterat; Du-  
 rior potius, factô ipsô, per Confessionem su-  
 am Brevem, Swenckfeldio & Tigurinis op-  
 positam, manifestatus, utpote in qua, nulla  
 Concordiæ Wittebergicæ mentione injectâ,  
 Zwinglium & Oecolampadium ejusque af-  
 seclas, Hæreticos, Sacramentorum inimicos  
 & æternum damnatos vocat. Et paulò  
 ante §. 40. in medio: *Luthero, dum Presentiam  
 Corporis Domini in Eucharistia acris defendit,*  
 (puta Corporalem, ut habet Chytræi Hi-  
 storia Augustanæ Confessionis, verbis alibi  
 à nobis allegatis) *Ubiquitatis dogma excidit.*  
*Ita quod ex instituto Christi, partim tessera, quâ  
 Ecclesia vera à reliquis cœtibus distinguitur, partim*  
 vincu-

vinculum Charitatis Christianorum, esse debebat, factum est pomum Eridis & Schismatis. p. 267. De Com-  
 plemento verò Schismatis hujus, ipsam eti-  
 am Lutheranam Ecclesiam graviter affligen-  
 tis (quandoquidem Lutheri Schisma Perso-  
 nale rectius, quàm Ecclesiæ Lutheranae, seu  
 majoris hujus Ecclesiæ partis Schisma, audit,  
 probante Johanne Sturmio, vel annò adhuc  
 quingentesimò quinquagesimò quintò in-  
 ter Germanicas & Helveticas exterisque  
 Ecclesias, firmam semper concordiam per-  
 mansisse, Antippapò secundò pag. 137. in fine &  
 sequentibus) idem Mejerus, vir doctissimus  
 §. 54. circa finem: Augustus Elector in Cænobio  
 Bergensi propè Magdeburgum, congregatis sex The-  
 ologis, Jacobo Andrea, Musculo, Cornero, Selnece-  
 ro, Chemnitio & Chytrao, Formulam dictam recen-  
 sendam transmisit. Emendatione ab aliis factâ, jux-  
 ta varias emissas censuras, Formulam Concordia Ja-  
 cobus Andrea Anno 1579. ad singularum Ecclesia-  
 rum Protestantium ministros & ministeria defert,  
 singulos Imperii Protestantes Status, Magistratus,  
 Scholæ Magistros, ad Subscriptionem solliciturus, &  
 quidem non modò ultra octo millium Theologorum,  
 sed & tres Electores, viginti Principes, XXIV. Co-  
 mites, XV. Barones, XXXV. Civitates Imperiales,  
 nomen suum Bergensi isti Libro subscripserunt.  
 Multi autem subscribere recusarunt, Sveci, Dani,  
 Holsati, Brunsvicenses, Prusfi, Pomerani & alii.  
 Quinque quidem Duces Brunsvicenses, ut & Pro-  
 fesso

fessores quidam Helmstadiensis subscripserunt; Sed postea CUM NOVA ET ILLAUDABILIA DOGMATA FORMULÆ ISTI INTRUSA ESSENT, hi manum retraxerunt. Atque hinc est, quod in Ducatu Wolfenbüttellano & in hac Academia, Formula Concordie, hætenus non sit recepta. p. m. 287, 288.

§. XXI.

Cæterùm Lutherò primisque Reformatoribus aliis, etiam alterius Protestantium Partis, non Opinionibus duntaxat, sed & Moribus Pontificiorum Dictatoriis, Fidei Dogmata imperantibus magis, quàm svadentibus, inutritis recentissimè, condonandum esse videtur quicquid, partim per errorem in Doctrina de S. Cœna, partim per nimiam animi Commotionem, in defendendis diversis verborum S. Cœnæ interpretationibus suis, peccarunt, utpote gravissimis Pontificiorum abusibus abolendis tum temporis maximè intentis, quo de perquam nervosè pariter atque cordatè ita scribit, superiori Sphô laudatus Mejerus: *Abusibus, inquit, Pontificiorum abolendis maximè intenti erant primi Reformationis Autores: Rectum id quidem, modò quomodo rectè id fieret, in istis initiis pervidissent. Scilicet in fervore Disputationis & zelo tollendi abusûs, facile labimur. Contigit hoc Lutherò pariter*

ter

ter & Zwinglio, nec non Oecolampadio. Hi postremi, praeunte Carlstadio, huc prolapsi, ut existimant, abusus in Eucharistia papisticos tolli non posse, quam diu Corpus Domini in Eucharistia (Corporaliter) praesens esse crederetur. Luthero, dum è contra Praesentiam corporis Domini in Eucharistia, acris defendit, Ubiquitatis dogma excidit. Quatuor nominati viri, variis hinc inde in publicum propositis scriptis, acriter inter se certarunt, quolibet pro sua sententia depugnante, quibus postea accessere plures Viri, causas suas ita acerbè agentes, ut res ista in apertum eruperit Schisma haecenus implacabile. Audita tum statim nomina Zwinglianorum & Lutheranorum, quòd multi Luthero, multi Zwinglio se adjungerent. Tentatae quidem sunt varia & multae conciliandi rationes; Sed haecenus frustra, Zwinglio pariter & Luthero fuit ingenium fervidum & vehemens, unde graves inter illos collisiones; Et praeterea gloriam coepae Reformationis uterque affectabat, ut ita subinde humanum quid interveniret, animosque offenderit, & contentione exacerbaverit, id quod cursum Reformationis non leviter retardavit. Majora tamen in Ecclesiam fuerunt merita, quam quae potuerint istis vitiis obscurari. Magni viri, magna vitia! p. m. 265, 268.

§. XXII.

Nec tamen excusationem veniamque merebuntur parilem, primorum Reformato-  
 G rum

rum hodierni isti Successores, qui ex altera Protestantium Parte, Schisma à suis olim cœptum, immotè continuant hodieque, & implacabilibus odiis exasperatum veniunt, haud quicquam morati luculentissimas Sententiarum alterius partis, quibus, quâ rem Fideique Substantiam, arctissimè istis accedit, explicationes, etiam quâ primum de S. Cœna dogma controversum, in quo initium Schisma sumfit, contestata, se Præsentiam Corporis Christi crucifixi in S. Cœna realissimam, à Fide Communicantium, ceu priori, nequaquam suspendendam, quamquam Spiritualem & Supernaturalem, non Corporalem aut Localem, pani vel inclusam, vel indistanter, etiam ante usum Communicantium, aditam eoque & Manducationem Corporis Christi realissimam, licèt non Oralem, quæ Scripturalis non est, interim Spiritualem & Supernaturalem, ex professo Joh. 6. descriptam, Oraliq; panis eucharistici jungendam, & admittere, & sincerò corde credere, & apertò ore profiteri, constanterque professuram esse. Profectò, si quicumque alii, in universa Christi Ecclesia, Schismatis stigmatè inurendi veniunt, hi præcipuè intelligant necesse est, Se, per Condemnationem & exclusionem Reformatorem à Societate sua Ecclesiastica, ob id unice, & olim, & nunc, factam præcipuè, quòd hi Corporalem corporis Christi Præsentiam in



in Cœna, etiam extra Cœnam, Ubiqueticam  
 istiusque Corporis Oralem Manducationem, in-  
 vitis conscientis suis, solius Spiritûs S. dicta-  
 tis, in rebus Fidei, subjiciendis, haud creden-  
 das arbitrantur, gravissimo omnium Schis-  
 mati à semet ipsis implicari, Pontificiorum  
 Schismate, eò etiam nomine, adhuc graviori,  
 quò levioribus de causis admittitur &  
 perpetuatur; gravius etiam scandalum non  
 ipsis tantùm Pontificiis daturum, quò in  
 Schismate suo, citra omnem Doctrinarum  
 suarum impiarum emendationem, adversus  
 Protestantes, perstant, sed & ipsis, in utra-  
 que Protestantium Ecclesia, partim jam tùm  
 subnatis, partim adhuc indies novis pullu-  
 lantibus Sectis, quò hæc ad dissectionem  
 Corporis Protestantici in minimas quasque  
 Partes suas, procedere vereantur nulli, tan-  
 dem à Pontificiis, horumque Parastatis cal-  
 lidissimis, Lojolæ filiis, postquam ad satie-  
 tatem nauseamque se mutuò momorderint,  
 devorandas. *Quis enim ignorat* (sunt verba  
 Juris-Consulti Lutherani, Virgilio Pingizeri)  
*pestiferam illam luem & Satana extremam proge-*  
*niem, jam per multos annos omnia sua Consilia eò*  
*direxisse, ac nulli labori, nullive sumtui pepercisse,*  
*ut illos, qui nobiscum Pontificis jugum excusserunt,*  
*(sive sint Lutherani, sive Calviniani) blandis dolis*  
*periculoso Marte committant, sperantes fore, ut*  
*utrâque parte mutuis lanienis sic enervatâ, incen-*

tores illi crudelissimi, veluti è littore naufragium in  
 alto mari spectantes, tabulas relictas in suam po-  
 testatem redigant, & cum victore non minùs quàm  
 cum succumbente, pro arbitrio Regis Hispaniarum,  
 disponant. Dissert. de Pace Relig. Thesi XXII. p.  
 m. 31. circa finem.

§. XXIII.

Quò tantam malorum, Schismate com-  
 prehensorum, lernam, partim averterent Re-  
 formati, partim è medio tollerent, omnem  
 identidem lapidem moverunt. Hinc tot ho-  
 rum preces, suspiria, gemitus, obtestationes,  
 supplicationes, amicissimæ ad Pacem Eccle-  
 siasticam invitationes, Fraternalæ admonitio-  
 nes, varii generis scripta Irenica, **SEXTÆ**  
**RATIONIS MOVENTIS** locum omni ju-  
 re hîc expletura. Neque enim Regio, sub  
 cœlo Reformato, ulla, in qua vox εἰρήνης  
 non fuerit intonata, nullus angulus, ex quo  
 pacis Oliva transmissa non sit, nullus pro-  
 pemodùm Pacis cœlestis, à Principe Pacis,  
 ipsum adversus Deum belligeranti generi  
 humano, partæ, exortus nuncius est, quin  
 Paci etiam, Protestanticæ Ecclesiæ restituen-  
 dæ, impigram manum admoverit, istamque  
 promovendi operam pro virili omnem im-  
 penderit. Ex vetustioribus primique Refor-  
 mationis Seculi, noti sunt **BUCERI**, **OECO-**  
**LAM-**

LAMPADII, ipsique ZWINGLII, BULLINGERI, CALVINI, CAPITONES, HEDIONES, STURMII, ZANCHII; Ex Junioribus mediique temporis, diversissimarum Nationum plurimi, USSERII, DAVENANTII, HALLI, MORTONI, FORBESII, DURÆI, AMYRALDI, MOLINÆI, BOCHARTI, DALLÆI, CREGUTI, PASTORES GALLORUM UNIVERSI, JUNII, HORNBECKII, ALTINGII, MARESII, DIESTII, PIERII, PELARGI, CROCII, MARTINII, BERGII, HILDEBRANDI, HOTTONES, CURTII, HEINII, STEINII, FRANCI, STOSCHII, REICHELII. Ex recentissimis: MILLETTI, WÜRTZII, HOTTINGERI, PIERCII, SCHMITTII, HEIDEGGERI, SPANHEMII, FABRICII, JURII, TURRETINI, PICTETI, & GENEVENSES universi, tam PROFESSORES quàm PASTORES, literis binis ad Augustissimum Borussia Regem annô superiori datis, & unâ cum aliis de Pace Protestantium Ecclesiastica agentibus literis, nec non nitidissima argumenti ejusdem Oratione, à Viro doctissimo Johanne Alphonso Turretino, Professore Genevensium dignissimo, in publicam lucem editis, REGIAEQ; MAJESTATI BORUSSICAE dicatis. Qui tamen omnes pacificis suis Laboribus, Consiliis, Svasionibus, Adhortationibus, Demonstrationibus, Convictionibus parùm admodùm profecere hæc-

G 3

nus,

nus, quin illud Christi ingeminare necesse  
 habuerint, habeantque: *Tibiis cecinimus, Vobis,  
 & non saltastis, lamentati sumus Vobis, &  
 non planxistis, Matth. 11. 17.* Con-  
 vitia, Scommata, Obtrectationes, Subfan-  
 nationes, Calumnias, Opprobria, & quid  
 non mali, passi, invidiosâque admodum Ger-  
 manis appellatione *der Gern-Brüder*/ tra-  
 ducti, nihilominus istud OPTATI suum fece-  
 runt: *Quamvis nos odiô habeant & execrentur,  
 & nolint se dici fratres nostros, tamen nos recedere  
 à timore Dei non possumus, quos hortatur Spiritus  
 S. per Esaiam Prophetam; Vos, qui timetis no-  
 men Domini, his, qui vos odio habent & execran-  
 tur, & nolunt se dici Fratres vestros, vos tamen  
 dicite: Fratres nostri estis. Libro 1. contra Parmenem.*  
 Equidem inventi nonnulli quandoque sunt,  
 etiam in adversa Parte, Pacis filii, qui pacis  
 nunciis fautoribusque atque Patronis pa-  
 tulas aures præbere haud detrectarunt:  
 Ex vetustioribus, *MELANCHTHONES, E-  
 BERI, CRUCIGERI, CHYTRÆI, FRECHTII;*  
 ex Junioribus, *DONAUERI, SAUBERTI,  
 MAYFARTI, HÖPFNERI, DILLHERRI, CA-  
 LIXTI, HORNEÏI, FABRICII, HEINICHII,  
 MUSÆI, DREÏERI, CONRINGII, ECCAR-  
 DI, MELDENI:* Ex recentissimis, unô aliô-  
 que excipiendô, vix ulli, nisi fortè occultio-  
 res; At hi ipsi tamen ad unum omnes, fra-  
 trum suorum insignem adversus se acerbita-  
 tem

tem atque inclementiam, odium, livorem, iniquissima judicia, contradictiones, & oppositiones inimicissimas ac perquam virulentas, nunquam non experti sunt, & hodieque, vel ad solum pacis Ecclesiasticæ à se prolatum nomen, nedum ad Fundamentum ejus genuinum (Fundamentalem inter Protestantes Consensum) vel creditum, vel ostensum assertumque, cum multis suis incommodis, identidem ab istis experiuntur, qui Orthodoxiæ monopolium, per Formulæ Bergensis juratam Subscriptionem, acquisivisse sibi videntur & jactitant. Helmstadiensium univerforum nomine (qui plerumque istis fudes in oculis fuerunt) graviter hâc de re conqueritur citatus aliquoties Historiæ Ecclesiasticæ compendiosus quidem, sed haud inconcinnus Scriptor ac Autor MEJERUS, Discordiarum Ecclesiasticarum sine fine fovendarum præcipuos sui temporis incentores, horumq; & Fundamentum, & Scopum, insimul annotans: *Post Colloquium, inquit, Thoruniense, Annò 1645. habitum, cui inter alios & Georgius noster Calixtus interfuerat, in nervum erupit odium Saxonorum Theologorum in Helmstadienses, cujus initium & progressum paucis hic exponimus. Primum autem istius disfidii initium deducendum est ab eo, quòd Helmstadienses Formula Concordiæ, atque Dogmati de Ubiquetate Corporis Christi, subscribere noluerint. Cùm verò Thorunii*

Calixtus moderata ferret Consilia, malè hoc habuit  
 Hülsemannum, Calovium, & alios, quibus satius  
 videbatur debachari in adversarios eosque condemna-  
 re, quam de Pace ac Tolerantia eorum, quicquam  
 meditari, improbarunt proinde in Calixto studium  
 Concordiæ atque nomine Syncretismi id suspectum  
 reddere voluerunt. Cùm autem viderunt proposita  
 à Calixto Media atque Consilia ad recuperandam  
 Pacem, prudentibus, maximè Politicis, probari, ad  
 aliam quandam Calixtinis prorsus exitialem futuram  
 technam conversi, impudentissimè spargere atque  
 scriptò ostendere ausi sunt, Helmstadienses, in octo-  
 ginta quinque punctis, à Libris symbolicis dissentire.  
 Itaque ob desiderium Concordiæ & studium bonorum  
 operum, quod fovebant & urgebant Preceptores  
 nostri, adversarii, Helmstadienses, sub Calixtinorum  
 Syncretistarum & Novatorum nominibus, odio Ec-  
 clesie publico objicere voluerunt, tantùm quòd ista  
 consilia non aliunde essent profecta, quodque arbitrio  
 & directioni aliorum non fuissent submissa. citatò  
 locò §. 70. Similes querelas hòc ipso tempo-  
 re, quò hæc scribo, etiam Theologo Judicio-  
 so & τὸ ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ probè edocto, ab  
 adversariorum suorum nonnullis extortas  
 video & doleo, in Prefatione Defensionis suæ nu-  
 pera p. 2. & 3. legendas; Ecquando irarum  
 harum impotentium Christianamque Reli-  
 gionem, indignissimum in modum, dehone-  
 stantium, finis aliquando futurus est & ter-  
 minus? Ecquando Theologi desinent Pru-  
 den-

dentium Politicorum, quin ipsius vulgi honestioris sese exponere justissimo ludibrio?

## §. XXIV.

Sicuti verò Reformati, pacificis suis consiliis ac amicissimis ad Concordiam Ecclesiasticam invitationibus, in quibus, etsi ægerrimè habiti, nunquam tamen defeciscunt, Deo & Conscientiis suis Bonisque omnibus probant, tum cujus Spiritûs filii sint, tum qualis Sapientia sua Theologica & unde nata, testimoniis olim totidem, coram pacis Principe & totius mundi iudice, sibi futuris, se minùs in culpa fuisse, cur tunica universalis Judicis infutilis, in tot dilacerata Protestantium particulas sit; Ita Lutheranorum magna pars, morosissimis suis Tolerantiæ Ecclesiasticæ repulsibus ac violentissimis oppugnationibus, toties acerbius repetitis, quoties de obstinatione sua admonentur modestiùs, etsi sibi hòc pactò pro Deo videantur zelosi bellaque Domini gerere, malè tamen ut Ecclesiæ Dei, ita Conscientiis suis, consulunt, neglecti hujus divini mandati (quò qui Deum amat, & fratrem suum amare obstrictus est I. Joh. 4, 21.) gravissimam olim reddituri rationem, quando ἡ σωτηρία non minùs atque δύναμις Dei fuerit & Christi ejus, osor verò & accusator Fratrum de-

struendus erit. Est omninò, cur illud Dei apud Esaiam meditentur Fratres: *Audite verbum Jehovæ, qui trepidatis ad verbum ejus: Dicunt Fratres vestri, Osos vestri, procul arcetes vos, propter nomen meum honoratur Jehovæ; sed videbimus letitiam vestram, cum isti erubescant c. 66., 5.: tantòque crebrius osoribus Pacis meditando hæc Dei comminatio est, quantò illi studiosius omnis generis Prætextus conquisivère, quibus in odio adversus Reformatos se obduratum eunt cunctasque Pacis cogitationes à se quàm longissime arcitum, obtutu hic unò sistendos solùm, cum sparsim supra diluti jam sint; sed hunc in finem sistendos, ut & fratres Lutherani, lubricitate eorum commoti, arma ponere incipiant, & Reformati, in via Pacis Protestantica, à se hæctenus calcata, confirmentur ampliùs, nec se inanibus hominum quorundam maliferiatorum clamoribus injuriisque, à tramine Pacis depelli patiantur.*

AD DUODENARIUM ADHUC, quantum novimus, PRÆTEXTUS HI, QUORUM, SALTEM PLERORUMQUE, PRIMI ARCHITECTI SUNT, EXCREVÈRE NUMERUM, ETSI NON OMNIBUS ÆQUE PLACITUM RECEPTUMQUE.

(I.) DISSENSUM præcipuè obtinent FUNDAMENTALEM, justissimam illam fateor Dissidii causam, dum-



dummodo aliter probari posset quàm  
 ex conficta, in solius hypotheseos do-  
 mesticæ, seu Theologiæ Lutheranæ,  
 gratiam, Fundamenti & Fundamenta-  
 lium notione, illico collapsura & in  
 meram abitura auram, si ad Scripturam  
 S. uti omnium Doctrinarum Theolo-  
 gicarum, ita maximè Fundamenti-  
 um, i. e. omnium in univèrsum ad vi-  
 tam æternam, hîc in Fide & Pietate  
 inchoandam, & olim in cœlis consum-  
 mandam, Necessariorum Revelatri-  
 cem infallibilem juxtâ ac Indicem  
 mirum perîpicuam, exigatur, hujusmo-  
 di Notionis prorsus ignaram. Per sum-  
 mam autem vel malitiam, vel stupidi-  
 tatem, Dissensus Fundamentalis Pro-  
 testanticus tam ad quinque usque  
 Christianæ Religionis Elementa ex-  
 tenditur, quàm Principii Protestanti-  
 cæ Religionis primi & unicè adæquati,  
 Parti utrique communis, Discrimini  
 ita assignatur, ut Reformati peregrini  
 cujusdam, Rationis nempe Humanæ, à  
 Lutheranis non minùs ac â Se, post di-  
 vinam etiam illuminationem demùm,  
 in Instrumenti duntaxat capacis locum  
 sub-



sublevandæ, rei agantur, vel Mahumedanis tandem, ab infrunitis nonnullis, æquiparati. Pertinet huc, ad Fundamentalem Dissensum, ex conficta Fundamenti & Fundamentalium notione erutum, colorandum magis apparentemque efficiendum, Fundamenti & Fundamentalium, pro libidine, instituta Dilatatio, quâ istud in Organicum, Substantiale, & Dogmaticum; Hæc in Antecedentia, Constituentia, & Consequentia, discerpunt, hõcque pacto, prout visum ipsis commodum fuerit, vel omnem Theologiam Christianam, vel saltem eam illius partem, quæ ipsis propria ac peculiaris existit, in Fundamentum merum & Fundamentalialia convertunt, nec Fundamentatis ullum locum reliquum faciunt, quæ tamen danda, & plura quidem numero danda esse, quàm Fundamentalialia numerantur, Reformati, etiam ex ipsa Fundamentalium & Fundamentatorum communissima notione rationeque, arguunt.

(II.) Admissam à Reformatis Fidei Fundamenti, nimum etiam dilatati,  
Par-



Partem aliquam, proque Fundamen-  
 tali habitam, sigillatim illam, quæ in  
 Solatii Evangelici applicatione repo-  
 nitur, & necessariò, si non ipsam actu-  
 alem Pœnitentiam Fidemque, tamen  
 harum Lineamenta quædam atque Ini-  
 tia, Desideriò Gratiæ Divinæ ad pœni-  
 tendum & credendum, comprehensa,  
 supponit, eoque impœnitentes & mali-  
 tiosè repugnantes quoscunque Solatiò  
 Evangelicò tam diu arcet, donec Le-  
 ge Dei hujusque maledictione, debitò  
 modò territi, Gratiam Dei fessi lassique  
 anhelant, perque hoc ipsum, Partem  
 illam Fundamentalem, justis suis limi-  
 tibus ita circumscriptam, ut omnis &  
 solus desiderio Gratiæ Divinæ ferio  
 flagrans, solatium Evangelicum appli-  
 care sibi & possit, & debeat, *a Refor-*  
*matis ideo negari contendunt, & hoc ipsò*  
 Fundamentaliter Reformatos errare à-  
 que Lutheranis Fundamentaliter dif-  
 crepare, *quòd applicationem Solatii Evan-*  
*gelici non omnibus promiscuè hominibus, im-*  
*pœnitentibus juxtà ac pœnitentibus, indul-*  
*gent, licèt insuper Reformati Gratiam*  
 Dei sub Novo Fœdere, inæquali quan-  
 quam

quam mensurâ, impertitam, omnibus hominibus communem fateantur.

(III.) *Affirmatam* à Reformatis constanter atque perpetuò Fundamenti Fidei, nimum dilatati, Partem aliam, pro Fundamentali tamen non habendam, *negari ab iisdem obstinatè pertendunt* asserere, etiam hóc modo Fundamentalem Dissensum exsculpturi invitisque Reformatis obtrufuri, e. g. Realem Corporis Christi in S. Cœna Præsentiam, non quâ Efficaciam solùm, sed etiam quâ Substantiam, in Confessionibus saltem Reformatorum publicis, professam, Significativam meram ac Imaginativam à Reformatis haberi clamitant, eò quòd Corporalem Præsentiam cumque hac conjunctam Oralem ejusdem Manducationem, indignis cum dignis communem, Reformati inficiantur; non Fundamentaliter erraturi sic, etiam si quæ inficiantur, erronea forent, cum falsis Lutheranorum pluribus, etiam Wittenbergensibus, Sacramentorū Doctrina integra ad Fundamētū Fidei referri nequeat, vide *Andream Sennertum de Fundamentalibus fidei Articulis*.  
S. LXIV. (IV.)

(IV.) Ut affirmata explicitè à Reformatis, vel Fundamentalibus, vel minus-Fundamentalibus, ab his negari, & vice versâ, maximum in modum summâque cum detestatione, negata, affirmari tamen, minus peritis & magis contentiosis persvadeant, ad CONSEQUENTIAS confugiunt, falsas & veras, remotiores & propiores, intricatiores & magis obvias, cognitatas & ignoratas, admissas & repudiatas, etiam execratas & ejuratas, juxtâ ac sine discrimine, Reformatis imputantes, contratum *Imputationis*, tam in genere, quàm in Specie, Christianæ & Evangelicæ, tum Charitatis, tam Communis, quàm Fraternalis, Naturam ac Indolem.

(V.) In Dogmatum suorum novorum & hereticorum (Præsentia nempe Corporis Christi Corporalis, ut in S. Cœna, ita in omnibus locis, istiusque Manducationis Corporalis, seu Oralis, gratiam) *Symbolicos*, cum plurimorum ex Suismet contradictione, *Libros cudunt*, hisquè à Sex admodum imprudenter zelosis, nec ullô infallibilitatis privilegiô, quàm quod cum Papa sibi arro-

arrogant ipsis, donatis Doctoribus, in clauſtro Bergensi compilatis, *Divinitatem tranſcribunt*, humana Divinis commiſcentes, & Hæreſeos, ſeu Fundamentalis erroris, reos pronunciantes, condemnantes etiam quotquot humanam hanc fallibilemque Divinitatem non adorant.

(VI.) Ab Examine Librorum hujusmodi Symbolicorum ulteriori, ad unicè infallibilem Scripturæ S. Normam ac Regulam, nunquam non exigendorum, advocaturi Conſcientias hominum, ſoli Deo ac verbo ejus revelato obligatas, *Juramentis*, non *hypotheticis*, quorum Res Doctrinæque humanæ, vel humanis mixtæ Divinæ, capaces ſunt; ſed *absolutis*, Deo ſoli merisque Divinis ac abſolutè infallibilibus, debitis, *vinciunt*; ita omnem, & in Veritatis Divinæ Cognitione profectum, & Charitatis Fraternalis in diſſidentes affectum, ejuraturi, & Juramentum, iniquitatis vinculum effecturi.

(VII.) Quin ne Jurisjurandi hujus *absoluti*, quenquam jurantiū eorum, aliquando pœniteat, qui Charitatē Chriſtianam

nam

nam, Legem Christianismi maximè  
Fundamentalem, incertis quibusdam  
Opinionibus antiquiorem facilè duce-  
rent, prætexunt: *Quemcunque in Sacris  
Dissensum, ad hoc sufficere, ut à Societate  
Dissentientium Ecclesiastica sejunctus mane-  
as, hosque limitibus Ecclesiæ Tuæ sa-  
cræque tecum Communionem omni,  
etiam externâ quâcunque, Civili im-  
mixtâ, arceas, cum Condemnatione  
prætereà Dogmatû, Ecclesiæ Tuæ Dog-  
matibus utcunque adversantium; sic  
Schismati regalem in Ecclesia thro-  
num ædificaturi, tyrannide suâ o-  
mnem Ecclesiæ Unitatem pessundatu-  
ro penitusque sublaturò è medio.*

VIII. Reformatis iniquiora & *Di-  
cta, & Facta*, cum adversus Se, Luthera-  
nos, tum adversus alios, exprobrant,  
atrociorum facillimè convincendi, qui-  
bus ipsimet ista, si quæ data sunt, ex-  
torserunt, opinati, sibi solis licere,  
quod lubet, Reformatis ab eo quoque  
abstinendum esse, quod licitum est;  
Parumque memores, quæ malè vel di-  
cta, vel facta, ab utraque Parte, olim  
sunt, emendanda quàm properè esse,

H

at-

atque imposterum bene-dictis bene-factisque tantò crebrioribus compesanda.

IX. *Schismaticos Reformatos* Ecclesiâque Lutherana temerè egressos, contrâ omnem Historiæ Fidem, *narrant*: Quippe quos Lutherus, Tigurinis maxime, ex carnalibus causis nonnullis, infestus, in suam suorumque Communionem Ecclesiasticam propterea solummodò, admittere pertinacissime semper renuit, quòd cum eo, hâc de re concordare minùs possent: Num Corpus Christi, in Cœna, *Corporaliter* adsit, hòcque modò manducetur? Nulli hîc secum habitantes, ut adverterent aliquando, quàm ampla ipsis Schismatis suppellex adhucdum supersit, quàmque dite ejus sementum facere, nulli delassari queant, utut Reformatorum continuis, ad justum Unionis Ecclesiasticæ Modum, secum in eundum, tantùm non fatigentur precibus.

X. Sed & has Reformatorum, à Schismate, totò abhorrentium pectore, preces Christianas, in pessimam rapi-  
entes



entes partem, obtendunt, his ipsis; *Lutheranorum perniciem tantum quæri* totalemque extirpationem, quæ quomodo, ad Unionem cum Reformatis Ecclesiasticam, consequi magis possit, quàm perniciës & extirpatio Reformatorum, nec perspicacissimus videt, nec assequitur suspicacissimus, nedum ab omni mala cogitatione & suspitione, per Charitatem Christianam, alienior animus, in Sendomiriensibus potius amicissimam Protestantium Confociationem, invitò licèt quòdam importunò Pacis turbatore, factam, & admiratus, & ad imitandum provocatus aliosque provocans; Excipienti verò: Consensum Sendomiriensem, ad oppressionem Lutheranorum spectasse, regrens: Facilius hoc dici, quàm probari, in Hutteri autem Dissensu, verbisque Dissensum ejus exponentibus, multa superesse, quæ probatione indigeant. vid. *Dn. D. Fabricius in Defensione p. 14. in fine.*

(XI.) Unionem Protestantiam, Confusionem, inducturam præfagiunt & Samaritanismum interpretantur. Verùm, uti *posterius*, per maximam ace-

videntissimam Principii petitionem, designant, cum neutra Protestantium Pars, Idololatriæ vel suspecta, nedum rea, esse possit, solum Triunum Deum, Patrem, Filium & Spiritum S. religiosò cultu profecuta, in unico Christi merito omnem salutis Spem & Fiduciam suam collocans, perque tolerantiam boni operis, ad gloriam, honorem & immortalitatem pertendens, æternam tandem vitam obtentura; Ita *Prioris* metus penitus evanescit per justum verboque Dei exactè congruum Unionis, tam Christianæ tamque salutiferæ, ostensum Modum.

(XII.) Verumenimverò, hunc tandem ipsum *Simpliciter impossibilem arguunt*, cum is vel per *Additionem*, vel per *Diminutionem* Doctrinarum alterius Partis, vel per Dogmatum, inter utramq; controversorum, *Sequestrationem*, instituenda sit, in Sacris paginis enixè prohibitas, quippe conscientias Unionem eò pactò ineuntium graviter læsuras, tanquam de rebus divinis, seu Veritatibus divinitùs revelatis, non nisi per horribile sacrilegium, pro lubitu,

tu, disposituras; Quibus ita arguen-  
tibus accedere Reformati ac suffra-  
gari nulli dubitarent, si præter dictos  
Unionis Modos, moraliter, seu potiùs  
Theologicè, impossibiles, alius nullus  
prostaret, non tantùm possibilis, sed  
& facilis, & per omnes Christianismi  
Regulas dandus & amplectendus.

§. XXV.

Hic verò SEPTIMÆ postremæque ad  
Unionem Protestantium Ecclesiasticam con-  
tendendi RATIONIS MOVENTIS locum  
occupat, paulò distinctiùs delineandus, post-  
quam in antecessum, Subjectum, cui Modus  
introducendus est, plenè determinavero.  
Subjectum Unionis, seu, Partes Uniendæ,  
sunt mihi, *Omnes Solique Protestantes.*

OMNES dum nomino, nullos eorum exclu-  
dendos arbitror, qui alterutri Protestantium  
Parti ita adhærent, ut Sacris ejus consvetis  
Ordinariè interesse iisque uti fruique, nulli  
dubitent, licèt ab utrâque parte adhuc in-  
veniantur tam Opinionibus quibusdam The-  
ologicis Sententiisque, quàm Ceræmoniis &  
Ritibus Sacris, inter se discreti. Sicuti e-  
nim Reformati, Opinionum paucarum re-  
spectu, Universalistarum & Particularista-  
rum,

rum, respectu verò Rituum ac Disciplinæ Ecclesiasticæ, Episcopaliū & Presbyterianorum, quin & Independentium famosissimis appellationibus distinctos novimus; Ita non minùs Lutheranorum alii, Orthodoxorum titulò se maculant ipsos, vel Syncretistarum, vel Pietistarum, appellationibus, infamatis aliis; quorum prioribus, uti Orthodoxi sic appellati, hosque inter, Calovius, octoginta quinque olim, sic posterioribus plures adhuc errores, Orthodoxorum Successores moderni, hodieque impingunt. Nec minùs Ritibus in Cultu publico à se invicem differunt Lutherani, aliorum templis ab imaginibus Dei Idololatricis, multis etiam superstitiosis Papalium Ceræmoniis, quibus Exorcismum meritò annumeres, purgatis, aliorum adhuc dum his ipsis inquinandis. Interim omnes dictæ hæ utriusque Partis Protestanticæ Sectæ (quibus tamen minimè utriusque Partis Fanaticos, seu Enthusiastas, verbi Divini Scripti contemptores nefarios, Independentibus in altera Parte, in altera Pietistis sic dictis, semet associantes, ullus comprehensos cupio) Opinionibus licèt nonnullis ac Ritibus disidentes, in Fundamento tamen Christianæ Fidei toto, nominatim Dogmatico vulgò dicto, amicissimè conspirant, dum omnes, per solam Christi gratiam ac merita, salvos se futuros sperant, sub Fi-  
dei

✻ (III.) ✻

dei scilicet vivæ veræque, utut quandoque infirmæ ac imperfectæ, conditione, quâ præditi seque præditos sentientes, cunctas promissiones Evangelicas hisque contenta præsentis futuræque vitæ bona, remissionem peccatorum & vitam æternam, solis verè Fidelibus speranda, solatiò pleni pollicentur sibi indubiè, impœnitentibus ac incredulis à promissionibus æquè ac solatio, per Dei ipsius exstantissimum verbum, arcitis, perpetuòque, donec resipiscant, arcendis. Et quia hæ Sectæ utriusque Partis Protestanticæ omnes, Fidei Fundamentò conveniunt, etiam vinculo Pacis Unionisque Ecclesiasticæ, jure optimò, destinantur.

SOLOS prætereà PROTESTANTES dum Unionis Protestanticæ capax Subjectū idoneumque facio, uti Arminianos Quinquarticulanos, solummodo per se ipsos, exclusos doleo quàm gravissimè, quippe illæsò adhuc, per quinque articulos, suos, Fidei Christianæ Fundamentò, utriusque Protestantium Parti facillimè, si, vellent, conciliandos; Ita Pontificios vice versâ, Fundamentum licèt Fidei Christianæ itidem servantes integrum, diversum autem ab hòc istique contrarium prætereà jungentes, ad quod suæ Societatis membra, ut præsentia, ita futura quæcunque, haud leviùs atque ad verum Fidei Fundamentum, per dirissima quæque anathe-

mata, in aliter sentientes jam tum lata pronun-  
 ciataque, obligant, Unioni designatæ in-  
 idoneos planè judico. Non, quòd non, cum  
 bonis omnibus, Ecclesiæ Catholici Unitati se-  
 riò studentibus, (cujus Pontificia Ecclesia,  
 respectu genuini Fidei Christianæ à se ser-  
 vati Fundamenti, majorem utique amplio-  
 remque Universalis Ecclesiæ, saltem Occiden-  
 talis, partem constituit) animitus voveam,  
 quò Ecclesia hæc, abrogatò Fundamentò su-  
 ò ascititiò, spuriò humanòque, Decretis Pa-  
 parum Conciliorumque Papalium & Docto-  
 ribus Scholasticis debitò, in genuino divi-  
 noque, ex puro verbi Divini fonte petito  
 Fundamento, acquiesceret, sicque factò ipsò  
 Protestantici Ecclesiæ uniretur; Sed quòd  
 nullus assequar, & ne mente quidem con-  
 cipere valeam, quâ ratione, stante Ecclesiæ  
 Pontificiæ Fundamentò adulterinò, maxime  
 verò Concilii Tridentini Statutis atque Ca-  
 nonibus (quibus istud & comprehensum, &  
 stabilitum est) servatis integris, vel, istius  
 Ecclesiæ ad Protestanticam accessio, vel, ab il-  
 la Protestantici receptio, possibilis esse queat.  
 Ut dictò, citra omnes ambages, fides concilie-  
 tur, operæ pretium est, memorati Concilii  
 Decreta quædam in arenam produxisse, quæ  
 per se ipsa loquentur abunde, quomodo  
 Conciliationi Ecclesiæ Protestantici cum  
 Papistica, spes omnis amputata tam diu sit,  
 quàm

quàm diu Decreta ista in vigore manent.  
 Decretum de Principio Fidei Christianæ, seu,  
 Scripturis Canonicis, ita, per compendium,  
 habet: *Omnes libros tam Veteris, quàm Novi T.*  
 (quos Protestanticæ Ecclesiæ alios Apocryphos,  
 alios Canonicos interpretantur) *nec non Tra-*  
*ditiones, tum ad Fidem, tum ad mores, pertinentes*  
*pari Pietatis affectu ac Reverentiâ suscipit ac vene-*  
*ratur Concilium: Si quis autem libros ipsos integros,*  
*cum omnibus suis Partibus, prout in Ecclesia Ca-*  
*tholica, (id est Romana) legi consueverunt, & in vete-*  
*ri vulgata Latina Editione habentur, pro Sacris &*  
*Canonicis non susceperit, & Traditiones predictas sci-*  
*ens & prudens contemserit, Anathema sit.*

Decretum de Peccato Originali: *Si quis, per Jesu*  
*Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate*  
*confertur, reatum originalis Peccati remitti negat,*  
*aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram &*  
*propriam peccati rationem habet, sed dicit, illud tan-*  
*tum radi, aut non imputari, anathema sit.*

Canones de Justificatione tres: (I) *Si quis dixerit,*  
*solâ fide impium justificari, ita ut intelligat, nihil*  
*aliud requiri, quod ad justificationis gratiam conse-*  
*quendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse,*  
*cum suæ voluntatis motu preparari atque disponi,*  
*anathema sit. (II.) Si quis dixerit, homines sine*  
*Christi Justitia, per quam nobis meruit justificari,*  
*aut per eam ipsam, formaliter justos esse, anathema*  
*sit. (III.) Si quis dixerit, homines justificari vel*  
*solâ imputatione justitiæ Christi, vel solâ peccatorum*  
*remissi-*

remissione, exclusâ gratiâ & Charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum S. diffundatur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam, quâ justificamur, esse tantum Favorem Dei, anathema sit. Can. 9, 10, 11.

Canon de Sacramentis in genere :  
Si quis dixerit, sacramenta novæ Legis non fuisse omnia à Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura, vel pauciora, quàm septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Uctionem, Ordinem & Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem, non esse verè & propriè Sacramentum, anathema sit.

De Sacramento Eucharistiæ Can. 2, 3, 4, 6. Si quis dixerit in Sacro - Sancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis & vini, unâ cum corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi; negaveritque mirabilem illam & singularem Conversionem totius Substantiæ panis in Corpus, & totius Substantiæ vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis & vini, quam quidem Conversionem Catholica Ecclesia aptissimè Transubstantiationem appellat, anathema sit. Si quis negaverit, in Sacramento venerabili Eucharistiæ, sub unaquaque specie, & sub singulis cujusque speciei partibus, separatione factâ, totum Christum contineri, anathema sit. Si quis dixerit, peractâ Consecratione in admirabili Eucharistiæ Sacramento, non esse corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante, vel post, & in hostiis, seu particulis consecratis, quæ post Communionem



nem reservantur, vel supersunt, non remanere verum corpus Domini, anathema sit. Si quis dixerit, in sancto Eucharistiæ Sacramento, Christum, unigenitum Dei filium, non esse, Cultu Latriæ etiam externo, adorandum, atque ideò nec festivâ peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus, secundum laudabilem & universalem Ecclesiæ Sanctæ ritum & consuetudinem, solenniter circumgestandum, vel non publicè, ut adoretur, populo proponendum, & ejus Adoratores esse Idolatras, anathema sit.

Huc pertinet quoq; Canon primus de Comuni-  
one sub una: Si quis dixerit, ex Dei Præcepto, vel necessitate salutis, omnes & singulos Christi Fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere, anathema sit. Itemque, de Missa Canon secundus: Si quis dixerit, illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliique Sacerdotes offerrent corpus & sanguinem suum, anathema sit. Adde Decretum de Invocatione & Veneratione, & Reliquiis Sacrorum, & sacris Imaginibus, Sessione 25. quò Canones Synodi Nicænæ secundæ confirmantur, definientes: Cum omni diligentia & cura venerandas sanctas imagines esse, & ad modum & formam venerandæ & vivificantis crucis, è coloribus & tessellis aut alia quavis materia commodè paratas, dedicandas & in templis sanctis Dei, collocandas habendasque; tum in sacris vasis & vestibus, tum in parietibus & tabulis, in ædibus privatis, in viis  
publi-

publicis, maximè autem imaginem Domini & Dei  
 Servatoris nostri Jesu Christi, deinde intemeratæ  
 Dominae nostræ Deiparæ, venerandorum Angelorum  
 & omnium deinde sanctorum virorum: Hòc verò  
 ipsò apertissimè contradicentes Elibertini Con-  
 cillii, Nicænò œcumenicò primò, viginti annis,  
 vetustioris, annòque, post C. N. 305. habiti,  
 Canoni trigésimosexto, ita sonanti: *Placuit Pi-  
 cturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur &  
 adoratur, in parietibus depingatur.*

§. XXVI.

Ad MODUM nunc Unionis Ecclesia-  
 rum Protestanticarum definiendum devolu-  
 tus, Duplicem adhuc Aditum ejus, bonò qui-  
 dem animò, à viris optimis, & ab henotico  
 negotio, uti speramus, minimè alienis Fratri-  
 bus Lntheranis, nuper referatum, at, matu-  
 randæ huic Unioni maximo futurum impe-  
 dimento, tribus quod ajunt verbis, obstruere  
 necesse habeo, ut sic, citra remoram appa-  
 rensque obstaculum, vera ejus planaue o-  
 mniumque facillima Via tam ineatur, quàm  
 continuetur, ad ipsam tandem Unionis Sa-  
 cræ Sanctuarium promptò nos pede, dedu-  
 ctura. Sunt enim *Alii*, qui prærequisitæ The-  
 oriæ Theologicæ; *Alii*, qui Praxeos excessu,  
 hòc locò aberrant. PRIORES, ad Unionem  
 Protestantium Ecclesiasticam vel viam pa-  
 randam, vel istius initium faciendum esse  
 syadent, ab universali' controversorum inter  
 Par-

Partes Dogmatum Inquisitione horumque examine, tandiu inter Partes continuando protrahendoque, donec ubique de vero falsoque Theologico quocunque, Parti utriusque exactè constet convictaq; ea sit, etiam de utroque istorum se convictam plenè profiteatur: Hanc enim mentis Sententiarumque Unitatem Partium Consensumque omnimodum, sponte suâ insecuturam earundem, in eadem Societate Ecclesiastica, Unionem nunquam disruptendam. POSTERIORES à Pietate Universalis utriusque Partis, tam Doctoribus, quàm Auditoribus introducenda, ceu ab ovo, negotium Henoticum inchoandum edicunt: Pietatis enim studiū, suâ naturâ ac indole, Pacem & Tolerantiam piorum Christianorum, utut Opinionibus quibusdam Theologicis disidentium, mutuam, felicissimè unicèque promoturam ita esse, ut absque hac præmissa, ne sincerè quidem Unio quæri, nedum obtineri possit.

Etsi verò tam Veritatis, quàm Pietatis Christianæ exactissimarum, studiū, Christianis omnibus singulisque, nullo non tempore, commendatissimum esse debeat, utriusque etiam studiū, se mutuò comprehendens, uti ad omnia, ita & ad Unionem Ecclesiasticam Deo placitam legitimamque, haud parum utile censendum sit, ut proinde, in uniendarum Partium utrâque, Studiū tam

Ve-

Veritatis, quàm Pietatis sincerum, omnino prærequiratur & supponatur; Tamen Actua-  
 lis alterutrius Ἀκρότης atq; Perfectio, (ad quam  
 ab utrâque Protestantium Parte, perpetuò ad-  
 spirandum sedulò esse, utrâque manu largi-  
 mur) adeò non ad Unionem eorum Eccle-  
 siasticam prærequiritur, ut prærequisita, U-  
 nionem hanc maximum in modum suffla-  
 minet, & non tantùm difficilem illam red-  
 dat, sed & planè impossibilem. Unde  
 tam Priorum, quàm Posteriorum Unionis Pro-  
 testanticæ procurandæ Methodistarum Via,  
 ad eam ostensa, quâ ipsum Introitum, par-  
 tim utrique Viæ communibus, partim alte-  
 rutri peculiaribus, scatet vitiis. *Communibus*;  
 Quia (I.) *Utraque ὕστερον πρότερον*  
*πρότερον* designat: *Prior*, Inquisitionem Veri-  
 tatum dubiarum, earumque minùs necessa-  
 riarum, deque his controvertentium Partium  
 Convictionem, meditata priùs, quàm mutu-  
 um Partium Amorem, Parti utrique unum  
 omnium maximè necessarium, etiam ad hoc  
 ipsum, ut in solo Fidei Christianæ Funda-  
 mento consentientes, in præter-Fundamen-  
 talibus autem cunctis divisi, amicam tamè Ve-  
 ritatum adhuc controversarum Inquisitionem  
 instituant, seque mutuò de veritatibus, fal-  
 sitatibusque, nondum satis utrinque agnitis,  
 informet & convincantque. *Posterior* (nisi  
 fortè Protestantium Consensum in Fidei  
 Fun-

Fundamento, seu Credendis Fundamentalibus cunctis, supponat) Pietatem Praximque Christianam, Fidei ac Theoriæ necessariæ præstruens, sicque fructum, ante sertam arborem, postulans; cum Apostolus, non in Pietate, Fidem, sed in Fide, Pietatem Virtutemque omnem præbendam exercendamque sustineat ac commendet. Ex communi etiam Protestantium Hypothesi, Fides salvifica, Credendorum necessariorum cognitionem seu Theoriam necessario complexa, veræ demùm Pietatis primum propriumque Principium existat. (2) *Utraque*, Unionem Protestantium à Conditione si non merè ac metaphysicè, tamen moraliter impossibili, suspendit: Nam nec cognitionis, ne in humanis quidem atque terrestribus, nedum in divinis ac cœlestibus, inque hâc, consensûs omnigeni, nec pietatis nostræ, ne Partium quidem, nisi per *ἐπισήμειαν* Evangelicam, à Deo sic æstimata, nedum Graduum, his in terris, expectanda Perfectio est, sive ista in Clero & Doctores, sive in Plebe ac Laicis, desideretur. Ut proinde, Unionem, post impetratam demùm istarum Perfectionem, quærendam dicere, aliud nil sit, quàm perpetuum Unioni nec unquam removendum pessulum obdere, omnemque introducendæ ejus spem amputare. [3.] *Utraque* Virtutum Christianarum, imbecillitati humanæ tam Intellectus,

Etûs, quàm Voluntatis, ferendæ sustinendæ-  
que destinatarum, i. e. Mansuetudinis, Leni-  
tatis, Moderationis animi, Patientiæ, Longa-  
minitatis, Commiserationis, Humilitatis, si-  
miliumque Christianæ cum primis Praxeos  
*κειμηλίων* usum universum, è medio tollit,  
militantem Christi Ecclesiam (cùm trium-  
phantis hujusque Perfectionis in cœlis so-  
lummodò locus sit) in Anti-Christianam  
conversura, meramque inductura tyranni-  
dem. Quandoquidem enim Ecclesia mili-  
tans, in membris suis universis, nec infalli-  
bilis, nec ab omni labe, in se atque intrin-  
secè, pura existit ac immunis, nequicquam  
obstantibus erroribus circa Fidem levioribus,  
i. e. præter-Fundamentalibus, vel peccatis  
ex infirmitate commissis, Tolerantiæ tamen  
Ecclesiasticæ locus relinquendus, perque  
dictas modò virtutes, servanda indefinenter  
illa est, nisi in Ecclesia Christi, per amorem  
Sacro-Sanctæ Trinitatis fundata, perque a-  
morem membrorum mutuum, propaganda,  
truculentiùs, quàm in Republica Civili, ver-  
sandum arbitreris.

*Peculiari* prætereà vitiò i. e. falsâ hypo-  
thesi laborat *Utraque* Via. *Prior* istâ, quam in  
*Hülsemanno* suprâ profligavimus: Non posse  
Societate Ecclesiasticâ uniri, qui non in o-  
mnibus ac singulis opinionibus Theologicis  
consentiunt, etiam *Doctori Hunnio* improba-  
tâ,

ta, quando iste, Consensum in Fundamento Fidei, Fraternitatis Spiritualis sufficiens arbitratur Fundamentum; Quin Spiritui S. invisa, vagantem quemcunque, seu oberrantem, litigandò extra sanos Domini nostri Jesu Christi Sermones, vel extra Doctrinam, quæ est secundum Pietatem, Necessariis ad salutem comprehensam, inflatum vocanti nihilque scientem, sed insanientem circa quæstiones & pugnas de verbis, ex quibus nascitur invidia, maledicentia, suspicioque mala, perversæque exoriantur exercitationes hominum mente corruptorum, & qui privati sunt veritate, pietatem quæstui habentes.

*1 Tim. 6, 3. 4. 5. Posterior verò hâc triplici: (1.) Omnem pietatem Protestantibus Ecclesiis exturbatam esse hasque in Babylonem conversas, se suisque in charitate uniendis prorsus inidoneas; Contra quas tamen, petra, h. e. Petrinæ Confessioni superstructas, ne portæ quidem inferorum prævalituræ sunt, Matth. 16.*

(2.) Pietate solâ hujusque Praxi, Christianam Religionem absolvi totam; Quæ tamen & Credenda exigit, ipsâ Pietatis Praxi priora, hocque potissimum pietatis mysteriò constat: *Deus manifestatus est in carne, 1 Tim. 3, 16.*

(3.) Pietatem veram, absque omni prævia sanorum verborum hypotyposeos cognitione, enasci posse; cujus tamen contrarium

docet Paulus, Timotheo scribens, tam ipsum, per cognitum à puerili ætate Sacras Litteras, sapientem ad salutem reddi, idque per fidem, quæ est in Jesu Christo, quàm hominem quemcunque, per Scripturam S., ad Doctrinam etiam utilem, mediante demum Doctrinâ hâc, perfectum & ad omne bonum opus paratum effici *2 Tim. 3, 15. 16.*, secutusque eatenus Magistrum nostrum summum, vitam ipsam æternam in Dei unius & Domini nostri Jesu Christi Cognitione, utut Practica, seu Pietatis Praxin progignente, collocantem, *Joh. 17, 3.*

§. XXVII.

Obseratis Viis istis duabus, quibus ad Pacem Protestantium Ecclesiasticam, modernorum Henoticorum nonnulli, infucato quidem, quantum assequimur, animo, svadent contendendum, parum tamen commodis, quin maturam metæ præfixæ consecutionem multum impedituris, memoriam subit TERTIA quædam, at iniqui prætereà aliquid & à pietatis Christianæ regulis alienum exposcens, quanquam itidem ab ejusmodi Viris indicata, qui Pacem Sionis Evangelici sinceris votis expetere videntur, quosque inter, ex recentissimis, nomen suum professus est Celeberrimus Theologus *Dn. Hector Godo-*



Godofredus Masius, Hassniensis Universitatis  
 insigne prorsus lumen decusque. Hic enim  
 tam spem suam de Unione Protestantica  
 aliquando secutura, minimè deserendam,  
 votisque suis haud incongruam, quàm Me-  
 dium quoddam Interemisticum, donec U-  
 nio plenè succedat, expositurus, ipsisque  
 Reformatis commendaturus, ita scribit:  
 Quo minùs autem spem omnem Unionis ab-  
 jiciam, illud potissimum efficit, quòd hòc i-  
 psò Seculò, Reformatos, in quibusdam fidei  
 Articulis, propius ad nos accessisse animad-  
 verti. Quorsum refero Articulum de Gra-  
 tia Dei Universalì, in quo multi Galli,  
 non quidem, ut Amyraldus, ludunt; sed se-  
 rio nobiscum, quòd scio, sentiunt. Utinam  
 in Articulo de S. Cœna aliisque Dogmatibus,  
 eadem esset Harmonia. Intereà verò, dum  
 fervent adhuc Controversiæ ultrò citroque a-  
 gitatæ, per Synodum, aut alià vià, finiendæ,  
 illud omnino Pacis Ecclesiasticæ Amor,  
 & Securitas Salutis svadet, ut Reforma-  
 ti tantisper nostris Partibus sese adjungant,  
 donec quæ sub Judice lis est, fuerit deci-  
 sa. Etenim cum nos in Fundamento Fi-  
 dei non errare fateantur, quid obstat quò  
 minùs castra nostra sequantur? In re du-  
 bia tutior via eligenda est; Tuta verò Sa-  
 lutis

*lutis via penes Lutheranos est, non tantum nostrâ, sed ipsorummet Confessione hostium. Unde rectè hanc Consequentiam eliciunt Theologi, Reformatos in Conscientia teneri ad amplectendam fidem Lutheranam, saltem eò usque, dum Controversiæ inter nos & ipsos, communibus utriusque Partis suffragiis fuerint decisæ. Quamdiu enim sententiam nostram amplectuntur, vel ipsis fatentibus, periculum non est, ne æternâ salute excidant, cum Fundamentalem Errorem in nostra Ecclesia non agnoscant; Secus ac Lutherani de ipsorum Opinionibus sentiunt. Id quod magnum est ipsorum causæ præjudicium. Hactenus Celeberrimus Masius, in Interesse Principum circa Religionem Evangelicam, p. 177. & 178.*

Ubi in antecessum non possum non, nomine tirplici, Viro Excell. ex animo gratulari: [1] De Spe Unionis Protestanticæ, à se, per Charitatem Christianam, omnia sperantem, concepta, perque hanc ipsam, non tantum non abjicienda, sed & fovenda, augenda, ipsò opere promovenda aliisque suæ partis Theologis, ab hujusmodi spe quam alienissimis, quin eandem averfantibus ac excerantibus, efficaciter persuadenda, præsertim, cum per nostrates Theologos, Unionis Protestanticæ, in Veritate fundatæ, cupidis-

pidissimos, in spem istiusmodi induci se  
minùs patiantur, nedum, ut manus mediis  
admoveant legitimis, quibus, per Dei bene-  
dictionem, Unio illa tandem procurari  
queat.

(II.) De Fundamento, quò spes Viri  
Excell. suffulta cernitur, non undequaque  
ineptò, inque promptitudine Reformatorum,  
quà admissionem Doctrinæ cujuscunque ex  
S. Scriptura evincendæ, quæsito, cujus do-  
cumento sit sententia de Gratia Dei Uni-  
versali, non Objectiva tantùm, Gallis qui-  
busdam Theologis pristinis, fortean haud  
fatis etiam intellectis, adscripta, sed & Sub-  
jectiva, plurimorum tam Gallorum, quàm  
aliorum Theologorum Reformatorum cal-  
culis approbata, quatenus sc. ab omni etiam  
Semi-Pelagianismi ac Synergismi fermento  
depurgata, & à nobis quoque hinc inde,  
tam in hac ipsa Protestanticarum, quàm al-  
tera Arminianarum Controversiarum Inqui-  
sitione, edocta est. Istam vero Reformato-  
rum promptitudinem utinam imitarentur  
Lutherani, in abrogandis quibusdam tam  
Doctrinis suis novitiis, extra Scripturam as-  
sumptis, de Communicatione Idiomatum  
Divinorum abstractiva, de Modo cum Præ-  
sentia, tum Manducationis Corporis Christi  
in Cœna, Corporali Oralique, Fundamentali-  
bus etiam à se habitis, quàm Ritibus, adia-

phorum merorum naturam numerumque egressis, Pontificiaque Superstitione inquinatis, in purum tamen putumque Calvinianorum odium, à multis Partis suæ Ecclesiis, hodieque retentis atque defensis. Quamquam, quòd ad Reformatorum sincerum, genuinæ Gratiæ Divinæ Universalis Subjectivæ pariter ac Objectivæ, admissionem attinet, monendus mihi Vir Clarissim⁹ sit: nec eam adeo recentem esse, ut ad Seculum unum restringenda veniat, ab ipsis quippe Lutheranis Wittebergensibus, imprimis nostræ Partis Reformatoribus, nominatim, in Bullingero (*Concione de vera & perseverante in omnibus angustiis & tentatione, fide, super Evangelio de Muliere Cananea, Tiguri anno 1552. d. 14. Aug. habitâ*) agnitam, vid. *Gründ. Beweis* p. 375; nec ad omnimodam Particularis, id est, quæ antecedentem etiam Dei voluntatem, Inæqualis Gratiæ Divinæ everisionem ac negationem, nedum ad fundamentalis in fide erroris, cujus Particularitæ, per Doctrinam suam, rei essent, imputationem improperationemque pertinere, ne quidem à Lutheranis moderatioribus huc tractam trahendamque, vid. *Entwurf der Einigkeit der Evangelisch Lutherschen und Reformirten im Grund der Glaubens* à pag. 118. ad 141.

(III.) De Voto Viri Celeberrimi, pro ampli-  
an-

ando spei suæ fundamento, per Reformato-  
 rum cum Lutheranis Harmoniam in Artic-  
 lo quoque de S. Cœna aliisque Dogmatibus,  
 haud malè inque hunc potissimùm finem,  
 superaddito, quò Protestanticum disfidium  
 tantò ocyus componatur paxque postlimi-  
 nio redeat exoptatissima. Sicuti verò  
 Votum istud Pietatem verè Christianam  
 spirat, quatenus in Consensum Christiano-  
 rum in Doctrinis, cœlesti revelatione pariter  
 ac necessitate nisis, perque hunc, in Unio-  
 nem eorum Ecclesiasticam, directum est; i-  
 ta idem illud votum divinâ exauditione  
 jam tum præventum intelliget Vir Doctissi-  
 mus, dummodo, citra præjudicium omne o-  
 diumque Reformatorum, ut in aliis Doctrinis  
 sibi ipsi Fundamentalibus visis, sic nomina-  
 tim in Artic. de Cœna, sententias excutere,  
 æquâque, i. e. ad solam Scripturæ S. stateram  
 suspensâ lance dijudicare dignatus fuerit.  
 Enimverò ut, post admissum ab ipsomet, in  
*Fundamento Dogmatico*, quod vocant, saltem U-  
 niversalistarum Reformatorum cum Luthe-  
 ranis Consensum Fundamentalem (ad quem  
 etiam Particularistas ipsò factò adspirare retrò  
 ostensum est) Consensum etiã Reform. cum  
 Lutheranis parilem, tam in *Fundamento Sub-*  
*stantiali*, de Persona Christi, quàm in *Funda-*  
*mento Organico*, cum de Dei Verbo, adæquato  
 unicoque omnium, nedum ad salutem, ne-

cessariorum Credendorum æquè ac Agendorum Principio, tum de Sacramenti utriusque Re non minùs Cœlesti, quàm terrestri, utrâque Substantiali, substantialiterque, priori licet Spiritualiter, posteriori Corporaliter, in Sacramentis præsentè, hâc vice nullus commemorem (utpote pluries, etiam in hac ipsa ad Pacem Protestantium Ecclesiasticam Parænesi demonstratum evictumque); ad Consensum Reform. cum Luther. Fundamentalem, in Artic. etiam de Cœna Domini, Auctori speciatim nominare viso, ulterius declarandum, hoc unicum, præter sæpius tradita, superaddere placet: Definitivam Christi in Sacra Cœna propositionem: *Hoc est corpus meum* (sive τὸ Hoc, Panem, juxta Lutherum, sive Complexum ex pane & corpore Christi, juxta Flacium Illyricum, designet) pro Rethoricè tamen impropria, vel Metonymica, vel Synecdochica, necessariò perque ipsam Metonymiæ & Synecdoches naturam indolemque, habendam, omnium interim clarissimè, vi interpretationis Metonymicæ Reformatis receptæ, (quâ hi τὸ est, per significat, vel, Signum est, ad modum reliquarum Sacramentalium definitivarum Propositionum omnium, explicare consuevère) Complexum Sacramento Cœnæ illud inducere, pro quo Lutherani præcipuè hîc dimicant, suppositò, Reformatos (uti vel ab ipso Reformationis pri-

primordio, iterum iterumque testati sunt) τὸ Significare, seu Signum esse, non de nuda significatione, seu signo mero, verum de Significatione & Signo, Signatorum suorum, etiam Substantialium, non Virtualium duntaxat, Exhibitivis accipere, ut Propositio Christi definitiva (hoc est Corpus meum) eadem sit cum hac interpretante Reformata: Hic panis exhibitivè significat Corpus meum, vel: Hic panis est Signum exhibitivum Corporis mei. Nam, dum Lutheranorum interpretatio Definitivæ Christi propositionis, (Hoc est corpus meum) hodieq; recepta, per hanc: Hoc Complexum ex pane & corpore meo, est corpus meum, mediante Synecdoche Rhetoricâ partis pro toto, eoque impropriè enunciatis, Complexum ex re Cœlesti & Terrestri, in Cœna Domini, supponit nudè, non probat; Reformata vice versâ interpretatio, Complexum idem disertè exponit ac asserit, cum Lutheranis isthòc pactò in S. Cœna, Complexum ex Re Cœlesti & Terrestri Substantialibus, Signante posteriori, priori Signatâ, apertè confessa, licèt Rem Cœlestem Substantialem, Spiritualiter ac Supernaturaliter, non Corporaliter & Dimensionaliter, seu Localiter, in Cœna adesse, itemque Spiritualiter & Supernaturaliter, interprete Christò Joh. 6., non Corporaliter autem & Oraliter, (qui loquendi modus, fassò Celeber.

Dominô Fabriciô, suprâ p. 911., minimè Scripturalis est) manducari subaudiatur, vel cum ipso Zwinglio, primo, quem ferunt, interpretationis Reformatæ Autore, istud solum evitatura, ne Christus in pane Localiter adesse existimetur, sicut Lutherana interpretatio id maximè cavere intendit, ne Christus à Symbolo panis, in legitimo usu, absens putetur. Confer. *Epist. Martini Bucerii, Luthero suo in Domino Præceptoris plurimum observando, Anno 1530. d. 25. Aug. perscriptam, inque Scriptis Bucerii Anglicanis p. 692. legendam.*

Ceterum triplici hac præmittendâ præmissâque gratulatione defunctum triplex proximè incescit admiratio, gradatim incrementum sumptura:

PRIMA respicit Viri Cl. Consilium, Reformatis datum, quò his Autor est, ut INTEREA, dum fervent adhuc Controversiæ ultrò citroque agitata, per Synodum, aut aliâ viâ, finiendâ, illud omnino, quod & Pacis Ecclesiasticæ amor, & securitas salutis svadent, promptè arripiant, seque tantisper Lutheranorum partibus adjungant, donec quæ sub Judice lis est, fuerit decisa. Hoc namque Consilium præterquàm quòd solò etiam isthòc nomine, quò *Interemisticum* advertitur esse, ipsis Lutheranis Orthodoxis, & à Philippistis semet discriminantibus, in causa religionis, exosum prorsus explosumque jure suò habetur, etiam minimè omnium

um



um vel Amor Pacis Ecclesiasticæ, vel Securitas salutis suggerere valet. Non *Amor Pacis Ecclesiasticæ*, debitæ scil. seu Deo placitæ, quippe, qui ne minimæ quidem Veritatis Divinæ negligens esse debet, etiamsi non omnem Veritatem Divinam tanti ponderis esse supponat, ut dissentientes Unione Communionisque Ecclesiasticâ, ob hunc ipsum Dissensum, privandos arbitretur. Minus, *Securitas salutis*: Quî enim salutis securi Reformati esse poterunt, si veritatibus a se agnitis nuntium mittentes, Lutheranis erroribus sibi visis, vel actu accedant, vel se accessisse externè simulent & profiteantur? ut ut id ipsum tantisper duntaxat facere jubeantur instituantque, donec quæ sub Judice lis est, decisa fuerit; cum ne per momentum quidem temporis voluntariè peccare, nedum per omne Seculum, (quò lis sub Judice pendens vix decidenda, eoque, per solam tolerantiam Dissensûs minus-Fundamentalis, componenda venit) in peccato contra Conscientiam perseverare cuiquam concessum sit, æternæ damnationis periculum indubitato alioquin subituro,

SECUNDA, eaque paulò major Miratio respicit subnexam Consilii rationem, tam Interrogativam hanc: *Etenim, cum nos in Fundamento fidei non errare fateantur Reformati, quid obstat, quò minus castra nostra sequantur?* Ad quam  
re-

respondeo, interrogando vicissim : Ergone Fundamentum fidei, tenentis, variuscule autem erronei, castra, etiam contra conscientiam, sequi licet ? *quàm* Assertivam, respectu potissimum applicationis suæ ad Reformatos, per Comparativi sui, *Tutioris sc. Viæ*, in Positivum, *Tuta duntaxat Viæ*, commutationem, perquàm mancam ac mutilam. Enimvero etsi in re dubia omni, tutior via eligenda foret, [ quod tamen ipsum Moralistæ absolute haud dederint, in re dubia, majoris sc. momenti, qualis est de qua nunc agitur, amoliendum prius dubium svasuri, quàm viam ullam ingrediari ]; tamen Reformatis, salutis via penes Lutheranos tuta duntaxat Lutheranis, non autem tutior Suâ ipsoꝝ, maxime Sibi, errores varios in via Lutherana cernentibus, de Veritatibus vice versâ suis, i. e. Reformatoꝝ, plenè persuasis, ullatenus existit, auguratis potius, quin in Conscientia convictis, se, desertis suis Veritatibus, probatisque Lutheranorum erroribus, ne in tuta quidem salutis, nedum tutiori, e contrario verò in paratissima ad æternam damnationem ducente via, per peccata sua contra Conscientiam admissa continuataque, versari. Unde,

TERTIA denique Miratio, eaq; maxima, exurgit jure optimò, ad Conclusivum, ex ratione, Consilio subnexa, Judicium, à Theologis

gis Lutheranis, Judice Doct. Masio, rectè elicatum, nec non ad argumentationem, Viri ceterà judiciosissimi, quâ Conclusivum hoc Judicium roboratum ivit, referenda. Namque (1) nec Judicium Conclusivum à Consilio Viri Cl., paulò ante Reformatis suggesto, nec argumentatio, Judicium roborans, à ratione, consilio ibidem subnexa, quicquam, nisi solis quibusdam verbis horumque dispositione, differunt, ut proinde non illationem, sed nudam præcedentium repetitionem, inferant, à tautologia ægerrimè absolvendam. (2.) Judicium Theologorum Lutheranorum Conclusivum, præter nævos, quibuscum Consilium Viri optimi conflictari jam innuimus, id insuper incommodi sibi creat ipsi, ut apertius propalet, quantopere Reformati contra Conscientiam peccaturi sint, si Judicium Theologorum dictorum Conclusivum secuti, fidem Lutheranam saltem eo usque amplecterentur, dum Controversiæ, se inter & Lutheranos, communibus utriusque Partis suffragiis, fuerint decisæ, ad quod tamen faciendum in ipsa conscientia sua teneri in Conclusivo Judicio dicuntur. Quò enim quæso pacto gravius, ad cujusvis etiam conscientiam, suam ipsorum lædere possunt Reformati, quàm si de Dogmatum suorum, Lutheranis Dogmatibus oppositorum, quorundam saltem, etsi præter-Fundamentalium, ve-

veritate, deque Lutheranorum falsitate op-  
 posita, in Conscientiis suis omnino convicti,  
 a Veritate tamen sibi cognita recedere, & co-  
 gnitam pariter Lutheranorum dogmatum  
 falsitatem amplecti, vel animo solo medi-  
 tarentur ac volverent, nedum meditata exe-  
 cutioni darent; utut insuper de hoc quo-  
 que certi satis redditi, Lutheranos in nul-  
 lam prorsus fundamenti Christianæ fidei  
 particulam directè impegisse? Numquid  
 Conscientia Christiana ad sola fidei Christi-  
 anæ Fundamenta porrigitur, in omnibus  
 aliis impunè & citra ullam Sui Deique læsi-  
 onem, pro lubitu suo, dispositura acturaque?  
 Annon in minimis quibusvis Credendis pari-  
 ter ac Agendis, ita ubique omnique tempore  
 versandum Conscientiæ Christianæ est, ut  
 illæsa nunquam non permaneat? Annon  
 ad exemplum Pauli, Christiano cuiusvis ita  
 τὸ inſervire πατρὶ ὁ θεὸς incumbit, ut & cre-  
 dat omnia, quæ in Lege & Prophetis, (addo  
 in Evang. & Apostolis) scripta sunt, & ἐν  
 τῷ τῷ semet exercere ipsum, quò ἀπρόσκο-  
 πον συνείδησιν πρὸς τὸν θεὸν καὶ τῆς ἀνθρώ-  
 πους διαπαντός servet, Act. 24? Quâ ergo ra-  
 tione Reformatus, stantibus iis quæ dicta  
 sunt, in Conscientia, ad Lutheranam fidem  
 amplectendam, quatenus suæ adversatur,  
 suamque deserendam, quatenus Lutheranæ  
 opposita est, prius teneri poterit, quàm de  
 istius

istius eatenus Veritate, hujusque eatenus  
 Falsitate convictus plenè persuasusq; sit? (3)  
 Argumentatio quâ Vir perspicacissimus, Ju-  
 dicium Theologorum suorum Conclusivum  
 suffulcit, adeo non stringit Reformatos &  
 obligat, ad Lutheranam fidem, etiam ad *In-  
 terim* duntaxat, quod ajunt, amplectendam, ut  
 quàm arctissimè potius Conscientias Refor-  
 matorum convictas teneat, ne latum quidem,  
 ungvem, vel à minima de qua persuasi sunt  
 manentque veritate fideque sua discedendi  
 unquam; tantòque minùs discedendi à sua  
 fide, & Lutheranam amplectendi, quantò  
*tùm* certius facti jam olim sunt hodieque  
 fatentur, periculum extantissimum adesse,  
 ut salute æternâ excidant, si Lutherano er-  
 rori cuicumque, etiam minimè fundamentali,  
 nedum pluribus, etiam gravioribus hujus  
 generis, invitâ conscientia, accedant, Luthe-  
 ranæ fidei se adjungentes; *tùm* Fundamen-  
 tales in eadem fide Lutherana, etsi non dire-  
 ctos, indirectos tamen perque consequenti-  
 am ex nonnullis Lutheranorum Dogmati-  
 bus elicitos errores, & agnovêre semper, &  
 adhucdum agnoscunt, interque hos omnium  
 præcipuum, quanquam non omnium Lu-  
 theranorum, quò in Fundamento secum con-  
 sentientes Reformatos, ob Dogmata tamen  
 sua per pauca Formulistica, in Script. S. nec  
 implicitè, nec explicite, tradita, nedum neces-  
 saria

faria seu fundamentalia habita, quin ab aliis Lutheranis abjecta, Societate tamen suâ Ecclesiasticâ exclusum eunt, fraternôque Amore suô adeo non dignantur, ut Reformatos tantùm non Achristianis æquiparent & annumerent.

Quanquam insuper, etiamsi Reformati nec ullum indirectum fundamentalem, nec alium graviozem Præter-Fundamentalem, in fide Lutherana, agnoscerent errorem, à Lutheranis vice versâ, multorum etiam Fundamentalium errorum constantissimè rei postularentur, exinde tamen Reformatis *nec* Libertas ulla (id quod jam tum ostendimus) vel minimis Lutheranorum erroribus applaudendi, vel minimas Reformatorum veritates susque deque habendi, eoque desertis suis castris, in castra Lutheranorum transeundi, horumque fidem amplectendi; *nec* ullum præjudicium, (contrarium licet Doctissimo Autore, in fine Consilii sui Theologorumque suorum, Reformatis impertiti, opinante) nedum magnum, Causæ eorum, enascatur; Certè, haud majus enascatur, quàm quale Lutherana Causa, per concessionem confessionemque suam de Pontificia Ecclesia, fundamentaliter etiam vera, deque Salute, in ea consequenda, patitur, à Pontificia tamen, fundamentaliter erronea æternæque damnationi obnoxia habita judicataque.

que. Ut proinde, cum amplissimi Viri Consi-  
lium *Interimisticum* de aditu ad Pacem Eccle-  
siasticam, ne peccati quidem vacuum existat,  
haud ægro animo laturus sit, si alium ad  
Pacem Protestantium Ecclesiasticam aperuero  
accessum.

§. XXVIII.

Itaque semotis hætenus tribus occul-  
tioribus quidem, at Unioni Protestanticae  
tantò infensioribus REMORIS, quibus ad  
eam aditus usque non aperitur, ut clauda-  
tur penitus & obferetur; TRIBUS potiùs  
nunc exponendis GRADIBUS perficiendam  
Pacis Viam concipimus animò :

(I.) Initium fiat à *CONSCIENTIOSA  
CONSENSUS DISSENSUSQUE PROTESTAN-  
TICI INQUISITIONE AC DIJUDICATIO-  
NE*, quâ Fundamentalia Fidei, à minùs Fun-  
damentalibus, ita discernuntur, ut istis solis,  
utrinque, i. e. ab utrâque Protestantium  
Parte, admisis promptè, sincerèque confes-  
sis, datòque adeò Partium in Fundamenta-  
libus Consensu, reliquus Dissensus Unionem  
Schismatisque Protestantici extirpationem  
neutiquam moretur quicquam ampliùs. Ab  
hujusmodi Inquisitione ac Dijudicatione I-  
renici Negotii initium faciendum esse, exem-  
plò nos suò edocet Apostolus, Corinthio-  
rum subortum Schisma, quò alii Paulinos,  
K Apol-

Apollinios alii se appellitabant ipsos 1 *Cor.* 3, 4. (quâcunque tandem de causa id factum sit, disquirere nunc nil attinet) ita abolere atque extingvere aggressus, ut Fidei Christianæ Fundamentô solô, quod inter illos posuerat ipsemet, cuique assensum & olim præbuerant Corinthii omnes, & adhucdum præbebant, adductô in medium, inque memoriam iis revocatô v. 11, ceu unicô ac solitariô Unionis prærequisitô juxtâ ac plenariâ ad eam movente Ratione, abrumpendum Schisma dictitet, utcunque Fundamento superstruendis, i. e. præter-Fundamentalibus, seu Fundamentatis, ipsos inter, *cùm* diversissimis tantôque disjunctis discrimine, quantô uniones, aurum argentumque, ligno, fœno, stipulisque distant v. 12, *tùm* ne extremum quidem ante Judicii diem componendis, (in quo tandem discrimina omnia, horumque pretia, citra tamen superædificantium salutis dispendium, revelanda, & vel laudanda, vel vituperanda, itemque vel conservanda, vel igne comburenda veniant. v. 13. 14. 15.) iis tamen excipiendis discriminibus, seu controversis Fundamentatis, quæ in Fundamento consentientibus, nec Schismaticè amplius divisis, sicque Evangelicè perfectis, etiam ante extremi diei tempus, manifestare Deo visum placitumque fuerit, *Phil.* 3, 15. Consentiant, quâ Thesin, Hunniani ex Lu-  
the-



theranis ; Quà Hypothesin & ad Protestantes applicationem, ex iisdem Lutheranis, Calixtini, cumque his multi alii, tam Theologi, quàm Politici, teste novissimò Virò undequaue integerrimò, *Dominò D. Fabriciò*, rotundèque fassò : *Sententiam suam de Reformatis hanc esse, quòd Fundamentum Fidei integrum servant, & huic Opinioni suæ multos alios tam Theologos, quàm Politicos accedere, seque semper ita & sensisse, & docuisse, Præf. Defens. p. 3.* Utrumque verò Consensum, tam hypotheticum, quàm theticum, veritate divinâ suffultum esse, confestim advertet quicumque Protestantici Consensûs Dissensûsque Inquisitionem, non ex Præjudiciis suis, sed conscientiosè, instituerit.

Unde non nudam Inquisitionem Consensûs di-  
 sti Dissensûsq; sed per omnia *Conscientiosam*, re-  
 dinte grandæ inter Protestantes Unionis Initiũ  
 facimus, seu, primũ rectiùs ejus Gradum figi-  
 mus. Simulac enim Conscientiosa, nec Præ-  
 judiciis affectibusque præpedita Causæ hujus  
 cognitio instituitur, Fundamentalis Prote-  
 stantium Consensus inquirentis cujusvis o-  
 culis protinus claritate se suâ ingerit, ut pa-  
 tulam Unionis ineundæ januam non pote-  
 rit idem non plenè referatam conspiciere.  
*Conscientiosam* autem illam demum dixero In-  
 quisionem, quæ, ut in omnibus Veritatibus  
 Theologicis, ita maximè in ponderosissimis

hisce expendendis, solam Scripturam S. (quâ unice in rebus, Divinâ Fide tenendis, Conscientia humana tutò firmiterque subniti potest) Indicem Judicemque constituit, Fundamentalialia cuncta, per Necessaria ad salutem, necessitate quâcunque, sive implicitâ, sive explicitâ, sive mandati, sive medii, in Scriptura S., dicta; non tantùm clarissimè & obviò cuivis modò, sed prætereà tam copiosè tamque plenè edifferentem inculcantemque, ut præcipua etiam Fundamētata, (Fundamento à se superædificandi rationem insimul edoctrura) ambitu istorum complectatur, sicque observatura, ceu *Conscientiosa Inquisitio*, duntaxat Necessaria à Scriptura dicta talia habitaque, hōc ipsō & Fundamentum integrum teneat, & ædificio, Fundamento isti superstruendo actualique hujus ædificationi, admotum se videat deprehendatve. Præter hæc à Deo ipso dicta necessaria, si quis alia fingat fabricetque, Fundamento Divino stabiliendo usque non inservit, ut aliud introducturus, isti tantùm non subinde demoliendo immineat: Rectissimè enim Lutherus, verbis ab egregio olim & prudenti Lutheranorum Theologo, Doctore Henrico Höpfnero, *Saxon. Evang. Cudsemio opposit. p. 110.* laudatis: *Nihil pestilentius, ait, in Ecclesia Dei doceri potest, quàm si ea, quæ Necessaria non sunt (puta à Deo dicta factaque) Necessaria fiant: Hæc enim Tyrannide Conscientiæ illaqueantur,*

*antur, & Libertas Fidei extinguitur, mendaciū pro veritate, idolum pro Deo, Abominatio pro Sanctitate colitur.*

Nec tamen nudā prorsus Consensūs Dissensūsque Protestantici Conscientiosā Inquisitione primus Unionis Protestantium Ecclesiasticæ Gradus absolvitur totus; sed Inquisitioni huic conscientiosæ insuper Consensūs Fundamentalis *Dijudicatio* deque eo Persvasio accedat necesse est, ne Scrupulante, nedum Dubitante Conscientiâ, ad Unionem, alterutra Pars procedere videatur. Quodsi enim in rebus etiam merè indifferentibus, sine certa, de Rectitudine ejus, quod agere suscipimus, persvasione, ad actum ipsum prodire inhibemur ab Apostolo, hanc Inhibitionis suæ rationem reddente: Ex Fide, seu persvasione firma minùs profectum, peccatum à Deo reputari, *Rom. 14, 23*; quantò magis peccato obnoxium fuerit, in re tam gravi plurimisque Christianis, non dubiâ tantum, sed, ex falsa licèt hypothesis, illicitâ etiam visâ, leviter se gerere, cumque iis Societatem Sacram moliri, qui everfi Fidei Fundamenti, seu Hæreseos, eoque & pertinacis malitiæ, Deo Christoque exosissimæ, & ab horum Communionem homines sejungentis, rei habentur. Hæc eadem & mihi causa fuit, quare ad Unionem Protestantium Ecclesiasticam, aliis svadendam, animum appellens, de Consensu inter eos Fundamenta-

li & memet ipsum probè in antecessum informaverim, & plenè de eo persuasus convictusque, contra negantes, *Sectionibus precedentibus*, asseruerim illum ac vindicaverim, vindicatum autem, hâc ipsâ Sectione, aliis persuasum eam, locutus sic, non quia opinor, aut suspicor, sed quia credo, & intelligo, quin etiam omnia, quæ scripsi hætenus in *Irenicis*, ut conscientioso, ita benevolo Christianoque Theologorum utriusque Partis, præcipuè dissentientium, examini libens lubensque submittam, optimè gnarus, Prophetarum, i. e. Interpretum rerum Divinarum, Spiritus, Prophetis subjectos manere. *1. Cor. 14, 32.* Quid a. DIJUDICATIO hujusmodi sibi velit, vide in *Antipappa Sturmii Secundo*, pag. 204. & seqq.

§. XXIX.

Ab hoc Modi Unionis Protestanticæ descripto Initio primoque Gradu,  
 (II.) proximèque ad Medium illius, & quasi meditullium, contendatur, SECUNDUM Modi Unionis legitimi & inter tres, GRADUM intermedium absoluturum, extremos duos affabrè conglutinaturum, CHARITATEM innuo FRATERNAM, in antecedentibus hujus Sectionis *Paragraphis 15, 16, 17.* ex professo commendatam, ceu Fundamenti, Christianæ ex Theoria & Praxi constantis Religionis, Partem alteram, seu

seu Practicam, hincque Theoriæ Christianæ  
Fundamentali, ceu priori ejusdem Religio-  
nis Fundamenti Parti, inque hanc Consen-  
sui, proximè subjungendam, tam Schisma-  
tis Nativitatem impedituram, si fortè [con-  
ceptum sit, inque prima herba suffocaturam,  
si, ceu noxium lolium, alicubi subnascatur,  
quàm abolituram etiam felicissimum in  
modum, etiamsi jamtum non tantùm exortum  
sit & adoleverit, sed & altas (ut proh dolor!  
Protestantes inter factum) egerit radices.

Cuncta hæc de Charitate Fraternali,  
modò enunciata, ex Loco Apostoli 2. *Tim.*  
1, 13, 14, 15. haud ineptè collegeris, ita di-  
scipulum suum adhortati: *Expressam Formam*  
*teneto sacrorum verborum, quos à me audisti in Fi-*  
*de & Charitate, quæ est in Jesu Christo; præcla-*  
*rum hoc Depositum custodi per Spiritum S. qui ha-*  
*bitat in nobis. Nosti hoc, quod se averterint à me*  
*omnes, qui sunt in Asia, ex quibus est Phygellus*  
*& Hermogenes.* Enimverò hîc (1.) Hypo-  
typosiς *ὑγιαίνόντων λόγων* inducitur, per  
quam, Summulam quandam necessariorum  
ad salutem articulorum, eamque evidenter  
delineatam, intelligi, exinde haud facile du-  
bitari potest, quòd Necessaria ad salutem, &  
*κατ'εξοχήν ὑγιαίνοντες λόγοι*, seu, sermones a-  
nimabus nostris necessariam medelam alla-  
turi, habenda sunt, quippe quibus sine, Salus  
harum nullò pacto obtineri potest, & ma-

ximè evidentia existunt, ac cœlestis Solis (Spiritus S. hujusque Illuminationem intelligo) radiis scripta, adstipulantibus huic Interpretationi doctissimis Viris, *Camerariô & Hyperio*, apud *Leightium*, ipsôque *Leightiô*, in *Critico N. T. ad vocem ὑποτύψεις*. (2.) Summula hæc medentium sermonum, seu ad salvandas animas necessariorum, in duabus partibus æquè essentialibus, in Fide scil., Parte quadam Christianismi Theoretica; & Charitate, non communi, sed τῇ ἐν χριστῷ Ἰησοῦ, i. e. Christiano-Fraterna, Parte quadam Christianismi Practica, collocatur; Et quidem (3.) eô ordine, ut Fides necessariô Charitate, ejusdem licet Necesitatis, prior tamen sit, quàm interim hæc, indivulsô nexu & comitetur, & consequatur, naturâ duntaxat, non tempore, posterior. [4.] Summula hæc Necessariorum ad salutem, duabus partibus æquè essentialibus, justâque Methodo dispositis, constans, καλὴ παρακαταθήκη, bonum Christianæ Religionis Depositum, seu Fidei Christianæ Commissum, appellatur, & per virtutem Spiritûs S., in nobis habitantem, (per quam etiam ipsi ad Fidem pariter atque ad Charitatem Christianam conversi atque traducti sumus) constanter servandum injungitur, ceu hujusmodi Depositum, quod etiam omnem ἀποστροφὴν à Christianis Fratibus, cujus Schisma insignis

gnis quædam Species est, arciturum fit. Propterea enim (5.) immediatè Apostolus subdit: Omnes Asiaticos, duobus, Hermogene Phygellôque, ducibus, non equidem à Fide Christiana ipsa, totos recessisse (quòd omnes fecisse verosimile haud fit) sed à se, Paulo, aversos esse, tum animò affectuque, i. e. fraternò amore, tum doctrinæ genere modoque, injustò vinculorum Pauli pudore victos, quorum Onesiphorum hujusque domum, minùs puduerit. Nec silentio hîc involvendum, Charitatem Fraternali, Fidei Fundamentali Consensui, ceu primo Unionis Ecclesiasticæ Gradui, à parte ante connectendam, per indolem atque naturam suam, Tertio quoque mox exponendo Gradui, Compositioni scilicet controversorum residuorum omnium, Substantiam Fidei haud attingentium, i. e. verbò unò, Dissensui præter Fundamentali, vel e medio tollendo, vel saltè tolerando, à parte post, aptissimè semet connectere, efficacissimumq; producendæ hujus rei Medium esse. Nam uti in Charitate Fraternali manens, in ipso quoque Deo, à quo natus est, remanet; Ita animum possidet veritatis divinæ omnigenæ cœlestisque Sapientiæ tum per naturam suam, utpote irâ, odiò livore, invidiâ, superbiâ etiam & pertinaciâ, (veritatis inveniendæ cognoscendæque summis obstaculis) exoneratum, quàm, per pro-

missiones & benedictiones divinas, capacis-  
 simum. Quandoquidem Cognitio Dei vera  
 & ab erroribus libera, malevolam animam  
 non intrat, nec habitat in corpore, pecca-  
 tis, Sapientiæ terrestri & *δαμονιώδη* præci-  
 puè, propriis, subdito. *Sap. 1.* Deus etiam  
 tantum se, eoque & fratres diligentibus, Sa-  
 pientiam veram largiri dicitur, ita ut impro-  
 bi (quales sunt omnes charitate, ut Fratrum,  
 ita Dei ipsius, destituti) nunquam istam vi-  
 deant *Syr. 1:* Solis volentibus mandata Dei  
 facere (quorum Summa & Complementum  
 Caritas) cognoscendæ veritatis copia lar-  
 gior fit, *Joh. 7, 17;* Nam, quærit Psaltes: *Quis*  
*est qui timet Dominum?* timore scil. filiali, A-  
 moris sociô? *Hunc verò, nec alium, docebit*  
*viam, quam eligat. Et mox: Secretum (seu My-*  
*sterium Domini) timentibus eum, & pactum ejus*  
*ut scire faciat eos, Ps. 25. 12. 14. vide doctissimam*  
*Ægidii Hunnii de Colloquio cum Pontificiis ineun-*  
*do Disputationem, Propos: 176. & sqq. usque ad*  
*Propositionem 194.* Sed eheu! vera charitas,  
 quæ in Dei & proximi Amore consistit, in-  
 ter nos exulat, mediaque ad eam recuperan-  
 dam necessaria, Legum puta Jesu Christi  
 Observatio ejusque vitæ imitatio, posthaben-  
 tur, mutuisque nos odiis, conviciis, calu-  
 mniis prosequimur & proscindimus, studiô  
 partium, sub specioso prætextu, Christi cau-  
 sam tuendi. Hæc dum ab aliis, i. e. altera  
 par-



parte, facta, cum dolore commemoramus, nosmet, i. e. partem nostram, justificare non præsumimus: in multis enim offendimus omnes. Misereatur nostri Divina Clementia & ignoscat, inque veræ Christianæ pietatis Praxi, suâ nos gratiâ, dirigat & corroboret!

§. XXX.

Acropoli Unionis Protestanticæ, per duos ad eam contendendi Gradus, occupatâ, i. e. impetratâ in duabus Christianæ Religionis Partibus Fundamentalibus, Fundamentali Theoriâ & Fundamentali Praxi, verbô, in omnibus ad salutem Necessariis, Protestantium Consensu, restat, ut

[III.] Per TERTIUM atque POSTREMUM GRADUM, ad Complementum Unionis istius, *vel* per COMPOSITIONEM, *vel* per TOLERANTIAM RESIDUORUM CONTROVERSORUM, concessâ utrinque servatâque piâ Conscientiarum LIBERTATE, procedatur. Cæterùm Controversa Præter-Fundamentalibus cuncta, vel ad γνῶσις, Christianam, Theoriæ salutiferæ; vel ad ποιήσις, Praxi piæ contradistingvendam, i. e. vel ad Opiniones Scientiasque humanas, per inevidentiores consequentias erutas Librisque subinde Symbolicis (particulariores illos intelligo & Schismati vel generando, vel alendo  
maxi-

maximè aptos natosque) illatas; vel ad Ritus particulariores & Cæremonias, alterutri Ecclesiæ receptas, spectat. Etsi verò Compositio Opinionum Theologicarum, tam naturâ, quàm dignitate, prior potiorque Compositione Rituum videriqueat; Tamen cùm Compositio posterior, & facilior multò existat, exiguò temporis spatiò, à Consentientibus in toto Christianismi Fundamento, Fidei & Charitatis Fundamentalium virtute, promptè perficienda, & priori, ceu difficiliori perque plura objecta diffusæ Compositioni facilitandæ, multùm, etiam hòc nomine, inservitura sit, quòd magis in oculos incurrit, & non Clerum tantùm utriusque Ecclesiæ Docentesque, sed insuper Auditores Laicos, externis magis ac sensibilibus Factis, quàm internis ac mentalibus Opinionibus, ad Unionem disponendos ac inclinandos, sibi invicem efficacius conciliat, hanc utilissimè præmittendam arbitrarer, perque Regulas de Cæremoniis Ecclesiasticis tam *generaliores* ipsius Scripturæ, quàm Theologorum utriusque Ecclesiæ *Specialiores*, utrique interim Ecclesiæ admissas Praxique Christianæ tam analogas, quàm utiles habitas, in effectum deducendam.

*Prioris generis* Regulas ex Canonibus Paulinis & Christi Servatoris, collectas, sequentes *tres* tradit B. SPANHEMIUS noster,  
Dia-

*Diatrib. Post. de Ritibus quibusdam, ducente ad Prudentiam Christianam, circa rituum eorundem in Ecclesiis Protestantium Dissonantiam, Parte 1. §. 11.* quas à Fratibus, in eadem Gente, de Ritibus disidentes, communi interim Fidei & Praxeos sanctissimis nexibus, conjunctis, ad animum revocari cupit, per Compendium hic recensendas ex *Tomo Oper. Theol. 11. p. m. 917.*

*PRIMO: Esto Regula aeterna CHARITATIS,* quæ jubet res benigniorem in partem interpretari, nec nimium esse suspicaces, aut morosos, erga fratres, multaue tolerare, licet nobis inutilia aut incongrua, vel superflua esse videantur, quæ non ita videntur aliis, de cetero ejusdem Fidei ac Spei vinculo colligatis; Idque Pacis ergo & Fraternalis Concordiæ atque amoris. *SECUNDO, Esto Regula PRUDENTIÆ* à Christo commendata, tot in Paulo & Apostolis exemplis, quæ fiet, ut sedulo fratres expendant, quid expediat magis, dum Hannibal ad portas est, communi utrinque Doctrina, Fide, Spe, Cultu, Causa, Majestate, Senatu, Lege &c. *TERTIO, Esto Regula OBEDIENTIÆ* debitæ Legibus & Summæ Potestati in iis, quæ sua natura censerentur *ἀδιάφορα* non præcisè Dei verbo repugnantia, nec eò determinata; quorum autem est necessitas quædam Civilis, & Connexio cum civili Ordine & Regimine.

*Posterius generis præclarè adducit Vir-*  
ce-

celeberrimus & Theologicæ Facultatis Lipsiensis primarius Professor meritisimus, Dominus D. Adamus RECHENBERGIUS, in erudita de Cultu Dei externo Exercitatione Theologica. Postquam enim §. 34. observatu dignissimam Rituum Ecclesiasticorum Distinctionem, quâ aliqui communi Ecclesiæ Christianæ Consensu & Auctoritate constituti, aliqui verò ad Particularis Ecclesiæ voluntatem traducti dicuntur, præmisisset, solidumque de utriusque generis Ritibus hocce formasset iudicium: *Illos Ritus, inquam, quos Uuiversalis Ecclesia olim, ex Traditione Apostolica, instituit, nulla Particularis abrogare potest: Potest tamen & debet eas Cereemonias, quæ Particularis Ecclesia (ut Romana) sancivit ad Superstitionem, aut, quòd illæ pro necessario Dei Cultu venditentur & habeantur, tollere: Ne superstitioni foveatur, verusque Dei Cultus internus, externo illo Cereemoniarum inutili ritu fœdetur & opprimatur, à §. 35. ad 40: has insuper quinque Regulas subjicit, itidem, per compendium recitandas: Prima est: Ne Ritus verbo Dei expressè repugnent, aut Articulum Fidei Christianæ labefactent: Ut Cultus Imaginum, Statuarum, in templis, qui Idololatriam manifestam sapit, Exod. 20, 4. 5. Secunda est: Ne Ritui, aut Cereemonie Sacre, opinio meriti alicujus apud Deum tribuatur, aut illorum usu peccata hominum expiari credatur. Tertia est: Ut Ritus in Sacris receptus*

sa.

*faciat πρὸς οἰκοδομήν, ad edificationem populi, vel excitandam majorem animi Devotionem & insinuandam morum viteque sanctimoniam. Quarta est: quod Ritus Venerationem quandam Sacris conciliare Actibus debeant, ut Vulgus illos à profanis Actionibus discernat, magisque aestimet Sacra mysteria, quæ illis velut vestiuntur. Quinta est: Ne Ritus Sacri, Superstitioni patrocinentur, & multitudine, verum ac intimiorem Dei Cultum, in Spiritu & Veritate consistentem, opprimant, aut tollant penitus. Tandemque §. 41. prudentissimè concludit: Christianâ, inquit, Prudentiâ si ulla in re, in Cultu Dei externo quoque opus est, ne vel Conscientiæ hominum onerentur, vel Superstitio alatur, aut verus Dei cultus internus minuat, aut per illum opprimatur. Sicuti in Papatu factum est, ubi sanctiùs Cæremonia, quàm Cultus Dei internus, servantur. Mediâ enim viâ, quæ semper tutissima, incedendum est. Ex quibus omnibus non abs re conjecturare licet, quosdam saltem Ritus, in Ecclesiis Lutheranis receptos, ex. gr. Usum imaginum, Exorcismum &c. parum Autori doctissimo arridere; Tantùm per hoc unicum ab Unione Protestantium alienior videtur Vir alioquin moderatior, quòd §. 43. argumentò Dissensûs Schismatisque Anglici, ex Rituum Episcopalium, & Presbyterialium diversitate, suborti, Unioni Protestanticæ, Cultûs Dei interni, i. e. Dogmatum & Fidei differentiâ, remo-*

*ran-*

randæ, nimiùm diffidere advertitur, ita scribēs:  
*Si enim qui Reformatam Religionem profitentur, circa  
 CULTUM DEI EXTERNUM Ritusque Sacros,  
 Schisma, quod inter ipsos in Anglia ortum est, tolle-  
 re atque Concordiam inire nequeant, quantò diffici-  
 lior fuerit Ratio componendi Controversias, quibus  
 circa CULTUM DEI INTERNUM, illi à Luthe-  
 ranis dissident. Hic enim Cultus, Dogmata & Fi-  
 dem attinet; Quippe sine qua, nec internus, nec  
 externus Cultus, Deo placere potest. Quamdiu er-  
 gò Dissensus circa Fidei Christianæ Dogmata atque  
 Media ad Salutem CREDITU NECESSARIA, in-  
 ter Protestantes durat, tam diu frustra omnis opera in  
 reducenda Concordia circa Cultum Dei externum in-  
 sumitur. Verùm enim verò, uti Vir æstu-  
 matisimus sententiam suam de Dissensu  
 Protestantium circa media, ad salutem  
 creditu necessaria, per Charitatem Christia-  
 nam, quâ pollet, mutaturum esse confido,  
 si dignatus fuerit intimiùs introspicere quæ  
 de Consensu Protestantium Fundamentali  
 hætenus à me disputata sunt; Ita de Riti-  
 bus Dissensus Anglorum tantò infelicior,  
 quantò minùs necessarius (Ecclesiæ Angli-  
 canæ Cæremoniis, prout perspicere mi-  
 hi licuit, à Superstitione Pontificia procul  
 fatis semotis) usque adeò Spem, de Unione  
 Lutheranos inter & Reformatos ineunda, di-  
 minuere non debet, ut potiùs stimuli locò  
 Protestantibus esse conveniat, tum de mi-  
 nùs*

nus ad salutem necessariis quibuscunque, (si-  
ve Ritus Ecclesiastici, siue Opiniones Theo-  
logicæ sint) moderatiùs sentiendi, & salvâ  
Charitate Christianâ, etiam dissentendi, i. e.  
Dissensum hujusmodi in Charitate toleran-  
di, tum ad Unionem Protestanticam tantò  
studiosiùs atque fervidiùs adspirandi eniten-  
dique, ipsum quoque Anglorum Dissensum  
dissoluturam unâ, totamque Ecclesiam Pro-  
testanticam Sanctissimæ Paci vindicaturam:  
Id quod Deus Opt. Max. pro Beneplacito suo,  
in Christo Domino nobis benignissimo,  
quàm ocysimè largiatur atque perficiat.

§. XXXI.

Datò sic, non in Fundamentalibus tan-  
tùm, Christianæ Religionis tam Theoreticis,  
quàm Practicis, Protestantium Consensu,  
& quidem cum utriusque Partis Conscien-  
tia & Persvasione (cujusmodi Consensum  
alibi Reflexum appellavimus); sed etiam  
in Ritualibus Ecclesiasticis, utut, quâ Deter-  
minationem faciendam, liberis & indifferen-  
tibus, quâ legitimè verò (i. e. tum juxta  
Regulas, præcedenti Sphô allatas, tum ab  
iis, ad quos Determinatio ista spectat, fa-  
ctam, ex Lege Ordinis & Obedientiæ, Ante-  
cessoribus Ecclesiæ tam Civilibus, seu Ma-  
gistratui, quàm Sacris, seu Verbi Divini Mi-  
L ni

nistris, debitæ, necessariis, adest Consensus (ut verbis & ex mente *Cl. RECHENBERGII* loquar) tam in Cultu Dei Interno, quàm Externo, eoque Completa Protestanticarum Ecclesiarum Unio, eatenus nimirum, ut in Fide & Charitate conjunctarum, citra ullum Conscientiæ Scrupulum, altera Pars alterius Sacris, pro quacunque nata dataque occasione, frui possit, non obstante residuò adhuc quòcunque, in Opinionibus Theologicis, Dissensu, cujus abolitio, seu compositio, non tam ad Cultûs Divini Substantiam, quàm ad Cultûs hujus, in Specie Interni, incrementum pertinet, in unita Ecclesia militante Protestantica, etiam post Unionem ejus jam tum constitutam, nunquam non, his in terris, ubi ex parte cognoscimus & ex parte prophetamus, perpetuandum.

Sed hòc ipsò, Consensus in Opinionibus Theologicis, utut in se & sine respectu ad Unionem Protestantium Ecclesiasticam, Naturâ Dignitateque, in Ritibus Ecclesiasticis Consensu prior à nobis dictus paulò ante sit; cum respectu tamen ad Unionem istam, Consensu hòc posterior deprehenditur, ad quem intereà à jam tum unita Ecclesia, omni studiò, in Fidei & Charitatis Unitate impigrèque, partim positivè, per Compositionem ulteriorem, partim negativè, per Tolerantiam, ex verbi Divini præscripto, conten-



tendendum est : Idque ita, ut Unionis Stru-  
cturæ ac Complemento consultura huic-  
que debitam firmitatem additura utraque  
Protestantium Pars, identidem memor sit,  
*ex una quidem Parte, Tùm* Vastitatis moderni  
nostri Systematis Theologici, quod ad  
modum & exemplum Summæ Theologiæ  
Aquinaticæ, in immensum excrevit, non ac-  
quiescentis amplius sanis Sermonibus Jesu  
Christi & ei, quæ ad pietatem facit, Doctrinæ,  
(id quod tamen Theologiæ Christianæ com-  
mendatissimum esse debebat) sed langvens  
circa quæstiones & pugnas verborum. 1.  
*Tim. 6, 35.* Tùm comitatarum Vastitatem  
hanc multarum artium Logicarum subtili-  
orum, plurimorum captum superantium, So-  
phistarumq; technis, adversariorum strophis,  
& prolixorum Argumentorum incertitudini  
ac fallaci probabilitati, quin etiam malis  
artibus, tam Diaboli, quam instrumentorum  
hujus, intermixtarum ; Tùm ipsorum Scri-  
pturæ S. in minüs necessariis difficiliorum  
quorundam locorum, seu δυσνοήτων, ab in-  
doctis quandoque, quandoq; ab instabilibus  
& Pietatem quæstum ducentibus, suô ipso-  
rum exitiô, detorsorum ; Tùm denique im-  
becillitatis humanæ, per præjudicia intelle-  
ctûs, vitia educationis, auctoritatem edu-  
cantium ac informantium aliaque innume-  
ra, magis magisque infirmatæ ; *Ex altera verò*

Parte, tam Quæstionum ipsarumque Materia-  
rumq; de quibus litigatur, harumque minoris  
necessitatis, quam moderationis Christianæ,  
quâ in istis, & examinandis, & decidendis,  
versandum Christianis est. *Multum enim præ-  
stat Dilectio Christi, ejusdem Cognitioni scrupulose,  
curiose, minusque necessaria; & Paulus optat ut E-  
phesii hoc ipsum cognoscant, & sic omni plenitudi-  
ne Dei impleantur, nimirum per Charitatem poti-  
us, quam per Theoriam. Equidem, in agnitione  
Christi Jesu sitam esse vitam æternam nemo nostrum  
negat; Interim multis Partibus præstat & potior  
est in oculis Dei mediocris Cognitio hujus mysterii,  
(facem præferentibus clarissimis Scripturæ dictis)  
cum Amore Christi sincero conjuncta, quam subtilis-  
sime etiam, ut sic loquar, Seraphicæ aut Cherubicæ  
de eodem Disputationes sine Charitate: Sunt ver-  
ba Ruperti Meldeni Theologi Lutherani  
Parænesi vot. pro Pace Ecclesiæ p. m. 37. Qui  
idem Autor mox addit: Vehementer igitur me-  
tuendum, ne modum exceßerint, qui ingenii acumi-  
ne fortè plus justò confisi, præcipuè locum de Chri-  
sti Persona spinosis & otiosis Subtilitatibus potius  
obscurasse & obfusasse, quam illustrasse videntur,  
quos, præ nimio Amore Christi, quem quidem simu-  
lant, ac præferunt, Christum è cordibus suis ami-  
sisse, non immeritò quis dixerit. Orthodoxiam hujus  
Articuli retinendam omni studio ferimus omnes;  
Verùm ad Praxin ubi perventum est, multarum  
Disputationum ego exiguum fructum deprehendere  
possum,*

possum, aut, si quis inde peti posset, eum aut sicco pede prætereunt, aut certe frigidissime, vix supremis digitis, attingunt Academici isti Autores; Nec sibi facile persuadebit quisquam, nisi eodem philtro fasciatus, eos, qui de Ubiquepresentia Christi ambitiosè magis, quàm fructuosè litigant, præsentem sibi habere Christum. Neque omnino oblivioni hic dandum, quomodo Vetus Ecclesia errores Doctorum suorum vetustissimorum, Polycarpi, Irenæi, Papiæ, Justini Martyris, Lactantii, Tertulliani, Origenis, Cypriani, Augustini, etiam suâ deinceps sponte Retractionum libros edentis postliminio, toleraverit, Unionis ubique cupida, Charitatis plena. Quod idem Meldenius mente recolens & nostros intuitus mores, à veteris Ecclesiæ moribus planè abhorrentes, ita conqueritur, tantæ mutationis Causas insuper veras aperturus: *Olim, inquit, ingenio simplices erant Christicola, zelò fervidi, miraculis magni; Hodie ingenio fervidi, zelò simplices & vix tepidi, miraculis nulli; Olim Christo placebant, hodiè sibi ipsis, Theologi, & quò plus Sibi, eò minus Christo; olim Christianismus consistebat in demonstratione spiritus & virtutis; Hodie in persuasibilibus humanæ Sapientie verbis. Olim plurima Regna Christi jugo colla subjiciebant, Hodie pleraque à Salutifera Doctrina deficiunt. Quid cause putas subesse? Dicam: Ambitio Theologorum fundi nostri est Calamitas; Hinc imprudens Zelus, hinc*

emulationes, hinc odia, hinc certamina, hinc Schismata, hinc Scandala, hinc Apostasia. Scientia inflat, charitas edificat. Audis Scientie, vel certè Persvasioni eruditionis propria, opponi Charitatem. Qui nimium emungit nares, Sangvinem elicit, ait Sapiens Hebræorum. p. 39. Et tandem iudicisimô hóc optimi sanissimiq; Consilii verbô p. 39. initiô, concludit inquiring: Si nos servaremus, in Necessariis, UNITATEM; in non-Necessariis, LIBERTATEM; In Utrisque, CHARITATEM, optimô certè locô essent res nostræ.

§. XXXII.

Cæterùm, quò postremus Protestanticæ Unionis Gradus tantò ineatur expeditiùs, felicissimôque deinceps successu pedetentim procedat, utriusque Partis Theologorum Officium fuerit maximè proprium & Christianis Doctoribus unum omnium longè dignissimum, Summos Partis suæ Magistratus submissè decenterque implorare, quò de celebrando Protestanticæ Ecclesiæ, si non Universæ, (quod tamen præstaret) saltem Romano-Germanico imperio subjectæ, Concilio, matura capiant consilia, Ecclesiæ huic in salutem cessura maximam.

Hujusmodi autè Concilio, præsertim tam Cæremoniarum Ecclesiasticarum, quàm Opinionum  
Theo-

Theologicarum componendarum gratiâ, habendo, cùm alterius Partis *Doctor Primus* atque præcipuus, *B. Lutherus*, sese jam olim opposuisse, istudque omninò dissuasisse videri potest, non præter rem fuerit, sub *Tra-ctationis nostræ finem*, magni hujus *Theologi & Ecclesiæ Christianæ Reformatoris* sententiam, hâc de re, tùm adduxisse, tùm declarasse. Expositam illam legimus *Epistolarum ejus à Joh. Aurifabro collectarum Tomo II. Ep. Nicolao Hausmanno Anno 1524. scriptâ, fol. m. 243.* his verbis conceptam: *Mihi non satis tutum videtur, Concilium ex nostris cogi, pro Unitate Ceremoniæ statuenda, est enim res malæ exempli, quantumvis bono Zelo tentata, ut probant omnia Ecclesiæ Concilia ab initio. Ita, ut & in Apostolico Concilio, sermè de Operibus & Traditionibus magis, quàm de Fide, sit tractatum; In posterioribus verò, nunquam de Fide, sed semper de Opinibus & Questionibus disputatum, ut mihi Conciliorum nomen pene tam suspectum & invisum sit, quàm nomen Liberi Arbitrii. Si una Ecclesiæ alteram spontè non vult imitari in externis istis, quid opus est Conciliorum Decretis cogi, quæ mox in Leges & animarum laqueos vertuntur; Imite- tur ergò altera alteram liberè, aut suis moribus si- natur frui, modò Unitas Spiritûs salva sit in Fide & Verbo, quantumvis sit Diversitas & Varietas in carne & elemento mundi. Sententiâ hâc suâ Lutherus tria admodùm exponit, Gene-*

rale unum, & duo Specialiora : (1.) Nomen Conciliorum sibi pene tam suspectum & in-  
visum esse, quam nomen Liberi Arbitrii. (2)  
Concilia, pro Cæremoniarum Unitate statu-  
enda, sibi non videri satis tuta, quia sint  
mali exempli, Decretaque eorum mox in  
Leges & animarum Laqueos vertantur, ut  
proinde præstet Ecclesiam quamvis, suis mo-  
ribus frui, & unã alterã non nisi liberẽ imitari.  
(3.) Concilia, pro componendis vel Cæremo-  
niis, vel Opinionibus, parùm æstimanda es-  
se, quòd partim sic ab Apostolico primo,  
abitura sint, de Operibus & Traditionibus  
magis, quàm de Fide, celebrato ; partim ad  
Concilia posteriora accessura, in quibus  
nunquam de Fide, sed semper de Opini-  
bus & Quæstionibus disputatum sit.  
Quò locò hæc cuncta haberi debeant, ut cum  
veneratione ea, quã tam eximium Reformati-  
onis Protestanticæ instrumentum prosequi  
jure meritòque consuevimus, succinctè hîc  
edisseramus, prænotandum ducimus : Sen-  
tentiam hanc Lutheri totam, & privatam  
magis esse, familiari suo amicoque privato  
scriptam, & subitanam, inter exarationem  
epistolæ, subnatam, & non ita diu à deserto  
ab eo Papismo, pronunciatam, qui Conciliis  
non minùs atque cæteris rebus Ecclesiasti-  
cis omnibus, ad Idololatriam suam Tyran-  
nidemque stabiliendam, nefariè abusus fu-  
erat,

erat, hōcque ipsō bonis omnibus invisa e-  
 xosaq; Concilia reddiderat. Cæteroquin, quōd  
 ad *Primum* Lutheri sententiæ *membrum* attinet,  
 non poterant ipsi Concilia absolutè loquen-  
 do, improbari, ad quæ ipsemet & quando-  
 que provocavit, & quandoque iisdem, licet  
 minoribus, i. e. Colloquiis Protestantibus,  
 Marpurgensi & Wittebergensi, interfuit,  
 & unā cum Germanis suis, quō liberum a-  
 licubi Papalique Dictaturæ minùs obnoxium  
 celebraretur, nunquam non in votis habu-  
 it. Quid? quod, Conciliorum nomen non  
 aliter suspectum invisumque sibi dicit esse  
 Lutherus, quàm nomen Liberi Arbitrii,  
 non simpliciter à se negandum abrogan-  
 dumque, sed ab abusu duntaxat Pelagia-  
 no, (cui etiam ab Erasmo Roterodamo im-  
 mersum istud augurabatur) purgandum  
 tantum ac vindicandum. *Secundum* Senten-  
 tiæ Luthericæ *membrum*, præterquàm quōd  
 Concilia, pro Unitate Cæremoniarum sta-  
 tuenda, tantum eō nomine non satis tuta  
 arbitratur, quōd tum temporis mali exem-  
 pli essent, cum Protestantes jugum Papale,  
 Idololatricis ac superstitiosis Cæremoniis  
 pergrave, necessitate verò omnes eos ob-  
 servandi superadditâ, gravissimum factum,  
 humeris suis abjecerant, & pro Libertate  
 Christiana in hujusmodi talibus decertabant,  
 etiam Cæremonias tantum in se & sua na-

tura liberas profitetur, non autem Dispositi-  
 ni Ecclesiæ Determinationem illarum *εὐχρη-  
 μόνως καὶ κατὰ τάξιν* instituendam, subdu-  
 cit, Ordinem sic omnem negaturus, qui in  
 Ecclesia non Libertatis, sed Necesitatis est,  
 etiam quæ Determinationem à Superiori-  
 bus, quibus hæc competit, factam, cum iti-  
 dem non Libertatis, sed Necesitatis sit, Su-  
 perioribus, in rebus licitis ac indifferentibus,  
 obedire. Unde ipse Lutherus, immediatè  
 ante verba Sententiæ suæ, à nobis adductæ,  
 hæc habet; *Quæ Missam vernaculam, quoslibet in  
 Sensu suo abundare permitto, donec alia Christus  
 (puta per Ecclesiæ Antecessores legitimos)  
 dederit.* Quid? quod, Lutherus de Unitate  
 Cæremoniarum, quæ Universalem, seu Ca-  
 tholicam Ecclesiam Protestantiam, ceu dif-  
 ficiliori, loquitur statuenda, non quæ Natio-  
 nalem, in uno territorio, etiam si diversis  
 Magistratibus, subjectam. Prætereà, Luthe-  
 rus in alia Epistola ad eundem Hausman-  
 num, Cæremoniam quandam determinat ipse,  
 ita epistolam suam exorsus: *Missas remitto,  
 quas patior ita cantari; Sed mihi prorsus non placet,  
 notas Latinas super verba Germanica servari. Dixi  
 Bibliopola huic, quis sit modus germanicè canendi,  
 hunc velim hîc induci. Tom. II. Ep. fol. 278.*  
*Tertium verò membrum* ab utroque latere clau-  
 dicat, cum æquè manifestum sit, Apostoli-  
 cum Concilium de Cæremoniis ac Opini-  
 bus,



bus, utpote de Circumcisione, ab Ethnicis vel suscipienda, vel minùs, disquisivisse; quàm Concilia posteriora, minimùm Oecumenica, non de nudis Operibus & Traditionibus, sed de Fide quoque ipsa, contra Hæreticos, decidisse. Quantò igitur convenientius fuerit faciliusve, datò agnitòque, ab utrâque Parte, Consensu Fundamentali (hunc enim, in Modo Unionis à nobis commendato, ceu primum ejus Gradum, ubique prærequirimus); cum Consensu verò hòc necessariò cohærente Fraternali Amore, de Cæremoniis & Opiniónibus Theologicis conciliandis, in Concilio quodam Protestantico, cui Magistratus Protestantium Summi, per Delegatos suos, tam Sacros, quàm Civiles, & adsint, & præfint, amicabiliter decernere! Enimverò quòd Colloquia Protestantium hætenus instituta parùm profecerint, quin sæpiusculè Malum adauxerint magis, huic, ceu proximæ causæ, unicè assignandum venit, quòd Consensus Protestantium Fundamentalis adhuc non fuit universaliter exploratus atque concessus, & ne exploratus evade-  
ret, viribus omnibus impeditum

### EPILOGUS

**A**Nte omnia verò & quò totus Unionis Modus hætenus delineatus, exoptatum aliquando eventum sortiatur, Deus supplicibus precibus implorandus est, ut utrius-  
que

que Partis Theologos cum primis, Spiritûs sui Sancti gratiâ impleat, quo ambulent cum omni animi submissione & lenitate, cum iræ cohibitione, sufferentes alii alios per charitatem : Studentes conservare Unitatem Spiritûs per connexum Pacis ; Cùm unum sit Corpus, & unus Spiritus, sicuti & vocati sumus in unam Spem vocationis nostræ : Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma, unus Deus & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnes, & in omnibus nobis.

Unde & ego, cum Apostolo, genua mea flecto ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo tota Familia in Cœlis & terris nominatur, ut det omnibus, pro divite sua Gloria, quò fortiter corroborentur per Spiritum S. in interiore homine, & inhabitet Christus per fidem in cordibus nostris ; Ut in Charitate radicati & fundati valeamus assequi cum omnibus Sanctis, quæ sit illa Altitudo & Longitudo, Profunditas & Sublimitas ; Et nosse Charitatem illam Christi, omni notitiâ supereminentiorem, ut impleamur ad omnem usque plenitudinem illam Dei. Ei verò, qui summa cum Exsuperantia potest omnia facere, super ea, quæ petimus aut cogitamus, pro illa vi agente in nobis, sit Gloria in Ecclesia, per Christum Jesum, in omnes ætates Seculi Seculorum,

AMEN.

Ut

\* \* \* \* \*  
 \* \* \* \* \*  
 \* \* \* \* \*  
 \* \* \* \* \*

**U**T de Schismate Protestantico è medio tollendo cogitare curæ cordique sibi finant esse Fratres Lutherani, sub Pontificii Schismatis Schemate, Turpitudinem Protestantici, admodum isti similis, perque **FORMULÆ CONCORDIÆ** Doctrinas nonnullas, de **CORPORALI** Corporis Christi tam in S. Cœna, quàm in omni Loco, Præsentia, &c. &c. introducti, ut supra, ex B. Wardi Determinationis XVtæ *Sphô unico*, sequentibus ejus verbis, (subjunctâ quoque, ad Ecclesiæ Lutheranae Partem majorem, Applicatione necessaria) delineandam duximus.

The-

Theſis Unica.

**E**cclēſia nunc Romana, ab Una  
 Eccleſia Catholica, recedit, qua-  
 tenus Novam Fidei Catholicae  
 Profefſionem, Univerſali & Uni-  
 ca Eccleſiae haecenus inauditam,  
 12. Articulis novis, non ita pridem  
 formatam, à ſuis exigit, ſub poena  
 ſalutis; ab omnibus etiam, ad ali-  
 quod Beneficium admittendis, ju-  
 ramentò confirmandam; Et ne  
 quid deſit huic ſchismatico moli-  
 mini, omnes Eccleſias hoc novum  
 Symbolum non admittentes, ana-  
 thematizat, & à Communione o-  
 mni Eccleſiaſtica arcet. Vultis  
 ſcire hujus Symboli articulos? En,  
 adaequationem Librorum Apocry-  
 phorum & Traditionum non ſcri-  
 ptarum, cum Scripturis certò Ca-  
 nonicis & divinitus revelatis;  
 En

*En Invocationem sanctorum; Cul-  
tum imaginum religiosum; No-  
vorum quinque Sacramentorum  
Auctarium, Sacramenti Eucha-  
ristiae mutilationem, & id genus a-  
lia. Dices: Ecclesiam nunc Ro-  
manam, Fidem antiquam Catho-  
licam profiteri, ac proinde hoc  
nomine ab Unitate Catholica non  
recedere. Dices: Additiones hasce,  
Fidei Catholicae Antiquae neuti-  
quam adversari, aut repugnare.  
Resp. Errorem esse in fide imma-  
nem, Fidei antiquae novam supe-  
rinducere. Esto, non sit adver-  
sum Fidei, sit licet diversum tan-  
tum, aut aliquid se impertinen-  
ter ad fidem habens; ubi tamen  
toti Ecclesiae tale aliquid & ne-  
cessario credendum proponitur, i-  
bi transferuntur Termini, quos  
Patres posuerunt, ibi receditur a*

*re-*

Regula Fidei: Fides quippe sua regula σύμμετρος est; Regula autem, ut est apud Varinum, nec admittit πρόσθεσιν, nec αφαιρέσιν. Scriptura etiam tam prohibet addere, quam retrahere, & declinare vel ad dextram, vel sinistram. Vincentius Lyrinensis proprium hereticorum esse vult, ut gestiant religioni addere, mutare, detrahere; & proprium Ecclesiae, ut sit sedula & cauta depositorum apud se Dogmatum custos, ut nihil unquam in iis permutet, nihil minuatur, nihil addat, ut non amputet necessaria, ut non apponat superflua, ut non amittat sua, ut non usurpet aliena. Et cap. 29. Non minus prodigiosum esse, addere ad fidem, quam integro Corpori novum membrum apponere. Determinat. 15. p. m. 74 & 75.

The-

Theſeos præcedentis applicatio ad Eccleſiæ Lutheranæ Partem iſtam, quæ *Formula Concordiæ* Condemnationes approbat.

**E**ccleſiæ Lutheranæ Pars, ab Una Eccleſia Catholica recedit, quatenus novam Fidei Catholicæ Profeſſionem, Univerſali & Unicæ Eccleſiæ inauditam, aliquot Articulis novis, Seculô abhinc & quod excurrit, formatam, à ſuis exigit, ſub pœna ſalutis, ab omnibus etiam, ad aliquod Beneficium admit- tendis, juramentô confirmandam; & ne quid deſit huic ſchiſmatico molimini, omnes Eccleſias, hoc novum Symbolum non admit- tentes, anathematizat, & à Communione omni Eccleſiaſtica arcet. Vultis ſcire hujus Symboli articulos? En! Corporalem Corporis Chriſti in S. Cœna Præſentiam, ejuſque Ora- lem Sumptionem. En! Corpus & Sangvinem Chriſti in pane & vino quærenda, non, ocu- lis in cœlum ſublatis, inde petenda. En! infi- deles & impœnitentes Chriſtianos, Corpus & Sanguinẽ Chriſti in Cœna, non ſecus ac fideles & pœnitentes, Oraliter ſumentes. En! Chri- ſtum, ſecundum humanitatem abſtractè ac- ceptam, Omnipotentia aliarumque proprieta-  
M tum

tum Divinae Naturae, in Substantia, participem, & id genus alia, vide retro p. 113. Ita enim habent Articuli Ecclesiae dictae Negativi, huc facientes, cum Condemnatione praefixa:

*Rejicimus atq; DAMNAMUS omnes falsos quos jam recitabimus Articulos, ut qui Doctrinae, pie Simplicitati Fidei, & synce-  
rae Confessioni, de Coena Domini, & Persona  
Christi, repugnant:*

(1.) *Corpus Christi, in S. Coena, non  
Corporaliter, una cum pane, sumi, sed tantum  
panem & vinum Ore accipi: corpus vero  
Christi, spiritualiter duntaxat, fide nimirum,  
sumi. Artic. 5. p. 574.*

(2.) *Quod Fideles Corpus & Sangui-  
nem Christi, non in pane & vino Coenae Domi-  
nicae, quaerere, sed oculos in caelum attollere,  
& inde Corpus Christi petere debeant. Art.  
15. p. 575.*

(3.) *Infideles & impaenitentes Chri-  
stianos, in Coena Domini, non verum Corpus &  
Sanguinem Christi, sed panem tantum & vi-  
num, sumere. Art. 16. ib.*

(4.) *Christum, secundum humanitatem,  
Omnipotentiae aliarumq; Proprietatum Divi-  
nae Naturae, prorsus non esse capacem. Id as-  
serere audent contra expressum testimonium  
Christi*



*Christi, dicentis: Mibi data est omnis potestas in Cælo & in terra. Et contradicunt Paulo, qui ait: In ipso inhabitat tota Divinitatis plenitudo corporaliter. Negativ. de Persona Christi. Art. 15. p. 582.*

Dices: Ecclesiæ Lutheranæ Partem dictam, Fidem antiquam Catholicam profiteri, ac proinde hęc nomine ab Unitate Catholicæ non recedere. Dices: Additiones hæc, Fidei Catholicæ Antiquæ neutiquam adversari, aut repugnare. Respondeo: Errorem esse in Fide immanem, Fidei antiquæ novam superinducere. Esto, non sit adversum Fidei, sit licet diversum tantum, aut aliquid se impertinenter ad fidem habens; ubi tamen toti Ecclesiæ tale aliquid & necessario credendum proponitur, ibi transferuntur termini, quos Patres posuerunt, ibi receditur à regula Fidei, Fides quippe suæ regulæ σύμμετρος est; Regula autem, ut est apud Varinum, nec admittit πρόσθεσιν, nec ἀφαιρέσιν.

Confirmatur Responsio verbis insignis Theologi Lutherani DOMINI CALVÖRI, ex Consultatione ejus de Pace Ecclesiastica inter Protestantes, (Tractatu non minus Prudentiâ & Moderatione, quàm eruditione ac zelô secundum scientiam, instructissimô, paucis abhinc diebus, ex novissimis demum Nundinis Lipsiensibus, ad nos delatô) petendis, & Ca-

pitis quinti Partis primæ Theorematis XLVIII.  
ita sonanti : *Obtrusio Doctrinarum,*  
*præter Scripturam, in Ecclesiam,*  
*sub necessitate credendi, aut arti-*  
*culorum Fidei, invec̄ta, legitimam*  
*operatur Separationem, si non*  
*quoad Vinculum, quoad Cathe-*  
*dram tamen.* p. 176. subjunctis:

*Curiosas nimirum & inutiles quæstiones,*  
*non ex Theologia solummodo, sed ipsamet Ec-*  
*clesia proscribendas, luculenter patet ex Apo-*  
*stolicis interdictis 1. Tim. 6, 4. 20. 2 Tim. 2,*  
*14. 16. Neque enim ad finem sacræ Discipli-*  
*næ ac Ecclesiæ, non ad fidem, non ad spem,*  
*non ad charitatem, ac per consequens, ad salu-*  
*tem, quicquam conferunt, quin destruunt ma-*  
*gis ac ut ædificent. Vigilare proinde decet*  
*Ecclesiam ac cavere, ne inutilibus, quin*  
*perniciosis Curiositatibus confundatur,*  
*cum primis si adversa pars eas ad instar arti-*  
*culorum Fidei obtrudere velit. Quin, non*  
*sint istiuscemodi quæstiones omnino inutiles*  
*Ecclesiæ, quodsi tamen sunt extra Canonem*  
*Credendorum, non de fide, sed extra ac præ-*  
*ter fidem; extra fundamentalia certè istius-*  
*modi*

modi ac quæ non sunt de fide, non possunt ad ipsam fidem ejusque fundamentum ac Canonem referri. Quum autem Ecclesia integrum sollicitè custodire debeat credendorum Canonem, ita quidem, ut huic Regulae ac Systemati nihil aut desit, aut quidquam supersit, adeoquæ quum Fidei Regula ac Canon, & omnia, & sola Fidei dogmata complectatur, Ecclesia certè non committere hæc potest, ut aliquid credendis inseratur quod non sit de credendis. Rejicere ergo debet istiusmodi Extra-fundamentalialia ex ipso fundamento aut Classe Canoneve credendorum, ablegando eadem ad Classem Non-Fundamentalium, aut Veritatum utilium quidem, at non absolutè & simpliciter necessariorum. p. 177, 178. §. 182.

Hoc ipsum itaque ad quod Ecclesiam Particularem quamcunque obligatam fatetur *Celeberr. Calvörus* postremis paragraphi adducti verbis, nos, sub colophonem Tractatûs hujus nostri, ab Ecclesiæ Lutheranæ Parte eximia, Christianis humillimisq; precibus contendimus, dignetur illa, Articulos Formulæ suæ Bergensis, paulò ante allegatos, Schismatisq; Protestantici totum  
uni-

unicumque fomentum, si minùs omnino rejicere (id quod invitâ Conscientiâ quò faciat, Reformata Ecclesia nunquam desideratura est) Condemnationibus tamen seu Anathematismis, Articulis istis præfixis, perq; consequens, absolutâ credendi necessitate, exuere atque expedire, hõcq; pactõ Protestanticæ Ecclesiæ univèrsæ pacem Ecclesiasticam exoptatissimam Unionemque, QVOAD VINCULUM SALTEM, si minùs QVOAD CATHEDRAM, in Divini Nominis sempiternam gloriam, Ecclesiæ ipsius suæ Commendationem maximam illustremque, totius deniq; Sionis Evangelici solatium ac gaudium, quin emolumentum quoq; & incrementum perpetuum certissimumque, reddere, sicq; postliminio tandem plenè istam reintegrare.

FIAT! FIAT!

DEO Triuni, Patri, Filio & Spiritui  
Sancto, sit Laus, Honor & Glo-  
ria, in sempiterna Secula,  
A M E N!





Jf 5243

ULB Halle

3

002 377 004




VD 77

M.C.







Farbkarte #13

B.I.G.



PARÆNESIS  
 AD  
 NIONEM  
 ANGELI-  
 CORUM  
 LESIASTICAM,  
 NDAMEN-  
 TALI  
 HORUM  
 in Fide  
 NSENSUI  
 Superstructa,  
 à  
 ELE STRIMESIO,  
 ol. Doctore & Prof. Ord.  
 on Ecclesiae Primar. in  
*Universitate & Ecclesia*  
 Francofurtanis.

